METAPHYSICA P. ANTONII XDERICH

SERAFIN HRKAĆ
(Sveučilište u Mostaru)

UDK 19 Žderić
Izvorni znanstveni članak
Primljen: 17. X. 2001.

Predgovor

Fra Antun Žderić rođen je u Vinkovcima početkom osamnaestoga stoljeća. Umro je u Staroj Gradiški 3. IV. 1739. Ispit za lektora (profesora) filozofije, kao student izvrsna učenja i uzorna ponašanja – uvjet što se tražio da bi netko po završetku studija teologije i svećeničkog ređenja mogao nastaviti studij i postati lektorom filozofije i potom lektorom teologije – položio je na franjevačkom generalnom učilištu prvoga reda (studium generale primae classis) u Budimu pod mentorstvom fra Petra Karapandžića iz Goranaca kod Mostara (usp. S. Hrkać, »Manuskript fra Petra Karapandžića Logica«, u *Mostariensia 1*, Mostar /izd. Sveučilište u Mostaru/ 1994, str. 50–55). Predavao je na filozofskom učilištu (studim philosophiae) u Brodu koje je utemeljeno g. 1710, a dokinuto 1783. odlukom Josipa Drugog koji je, osnivanjem centralnih seminarija za dijecezanske i redovničke studente, zabranio daljnji rad svih dotadašnjih provincijskih učilišta. Na katedri je Žderić naslijedio g. 1735. fra Blaža Šimića (usp. S. Hrkać, »Introductio in universam Aristotelis philosophiam Dubrovčanina Blaža Šimića«, u *Prilozi 31–32*, Zagreb, 1990, str. 211–217) i održao kroz filozofijski trijenij (koliko je tada trajao studij filozofije) predavanja iz svih filozofskih traktata predviđenih po ondašnjem planu i programu kako općeg crkvenoga i franjevačkog zakonodavstva tako i provincijskih konstitucija o školstvu. Prema ondašnjim uzusima lektori su mogli slijediti udžbenike nekog odobrenog autora (Mastrius, Hennius...) ili sami izraditi vlastite sastavke i diktirati ih (lector) studentima. Žderić se odlučio za ovu drugu mogućnost, što je redovito uključivalo osobno daljnje napredovanje, tj. polaganje ispita i za lektora teologije. Predavanja su nam sačuvana u dva velika rukopisa. Jedan se čuva u franjevačkom samostanu u Kraljevoj Sutjesci i sadržava *Summulae* i *Logica maior* (usp. S. Hrkać, »Cur-

sus triennalis universae philosophiae Aristotelico-Scotisticae, auctore p. Antonio Xderich«, *Prilozi 29–30*, Zagreb, 1989, str. 193–199; *Logica maior* objavljena je u drugom dijelu moje doktorske disertacije *Izlaganje o univerzalijama u djelu Antuna Žderića* Enchyridion in universam aristotelico-scoticam philosophiam, Mostar /izd. ZIRAL/, 1998, str. II, 1–373), a drugi u franjevačkom samostanu u Iloku i sadrži: *Tractatus in octo libros Physicorum /Traktat o osam knjiga Fizike/*, *Tractatus brevis in libros Aristotelis De mirabili mundo caelique machina /Kratki traktat o Arisotelovim knjigama O čudesnom svijetu i nebeskom stroju/*, *Tractatus De ortu et interritu seu de generatione et corruptione /O nastanku i prestanku ili o rađanju i raspadanju/*, *Tractatus in libros De anima /Traktat na knjige O Duši/*, *Disputiones in Physicam transnaturalem – Metaphysicam /Rasprave o nadnaravnoj Fizici – Metafizici/*, *Tractatus unicus* (sic!) *De Deo uno in essentia /Traktat prvi* (u tekstu stoji: jedini!) *O bogu jednom u biti/*, *Tractatus secundus De Incarnata Dei sapientia /Traktat drugi O Utjelovljenoj Božjoj mudrosti/*, *Tractatus tertius De angelorum substantia /Traktat treći O supstanciji anđela/*, *Tractatus ultimus in quartam partem philosophiae De scientia morali /Traktat zadnji četvrtog dijela filozofije O moralnom znanju/ – Disputatio unica: De felicitate humana /Rasprava jedina o ljudskoj sreći/*.

Tekst traktata metafizike, što ga ovdje donosimo, nalazi se u rukopisu iza 506. stranice pod novom paginacijom 1–61. Sastoji se od tri rasprave:

Disputatio proemialis: *De obiecto metaphysicae ut sic /Rasprava uvodna: O objektu metafizike kao takve/*, str. 1.

Disputatio secunda: *De natura entis et illius divisionibus /Rasprava druga*: *O naravi bitka i njegovim radziobama/*, str. 10.

Disputatio tertia: *De essentia et existentia /Rasprava treća*: *O biti i opstojnosti/*, str. 33–61, (usp. S. Hrkać, *Izlaganje o univerzalijama...*, prvi dio, str. 41–66).

Serafin Hrkać

In nomine Domini incipiunt DISPUTATIONES IN PHYSICAM TRANSNATURALEM, METAPHYSICAM

Disciplinarum humanarum divinarumque aggredimur apicem nempe 'metaphysicam' quae de rebus abstractis et a sensibus remotissimis agit, ac sic inter caeteras philosophiae partes primatum tenet, quia scientiarum omnium naturalium perfectissima radix et regina est, et tronum suum (ut tradunt) posuit in nubibus coeli, ubi rerum omnium naturalium prima principia tradit, scientiarum omnium archana docet, ipsius divinitatis proemium contendit, et, quantum humanae imbecillitates attingere volent, comprehendit. Quapropter Plato eam scientiam divinam vocitabat, alii beatitudinem, ex quibus eius dignitas, utilitas ac jucunditas ostenditur, quod antiqui veri sapientiae amatores, eam omnibus divitiis, delitiis ac voluptatibus perstruendam censuerint. Appellatur autem 'metaphysica', quasi metas philosophicas transgrediens. Metaphysica est nomen Graecum, compositum ex li 'meta', quod idem est ac latine 'trans' vel 'supra', et ex li 'physica', quod idem est ac latine 'naturalis'. Unde metaphysica idem est, juxta etimologiam nominis, ac 'transnaturalis' seu 'supernaturalis' scientia seu facultas metas physicae facultatis transgrediens. Hanc metaphysicam divisit Aristoteles in duodecim libros, in quibus omnia, quae ad metaphysicam spectant, et proposuit et excogitavit, de quibus omnibus in praesenti disputatione disputare non licet, ampla et valde esset omnium, quae ille disputavit metaphysica; at nobis igitur supersunt pauca exponenda quia cum ubique quaestiones metaphysicae toto scilicet philosophici operis decursu occurrerint, potiores materiae metaphysicae hinc inde manent discussae, antequam ad proprium locum accesserint. Unde solum ea, quae alibi disputata non fuerunt, hic pro totius operis clausula discutiemus. Quare sit

Disputatio proemialis: De obiecto metaphysicae ut sic

Quaestio I: Quodnam sit obiectum adaequatum metaphysicae?

Cum scientiarum seu habituum naturae ex obiectis tanquam ex extrinsecis principiis specificativis facile inquirantur, scientiam metaphysicam investigaturi ab obiecto eius exordimur, inquirentes quodnam illud sit, qualis eius extensio et latitudo; suppositis autem his, quae de natura obiecti materialis

formalis 'ut quo' et 'ut quod' totalis et partialis est, de quibus in 'Logica magna' vidimus. Ideo

Dico primo:

Ens prout est commune enti reali et rationis, enti per se, et per accidens (et si licet loqui) enti positivo et negativo non est obiectum metaphysicae.

Probatur prima pars: Id quod statuitur pro obiecto alicuius scientiae debet esse univocum suis inferioribus; sed nihil dicitur univocum commune enti reali et rationis; *ergo,* ens prout est commune enti etc. Maior in qua est difficultas patebit suo loco. Haec ratio enim probat tertiam partem ejusdem conclusionis, ideo *Probatur secunda pars:* Ens per accidens qua tale nullam habet essentiam; atqui ut aliquid sit obiectum alicuius scientiae debet habere essentiam ex qua emanarent verae et propriae passiones, ut est perspicuum; *ergo,* ens per accidens non est obiectum etc.

Probatur maior: Si ens per accidens qua tale haberet essentiam, illa esset quid superadditum illi coacervationi plurium entium per se; atqui hoc repugnat; *ergo,* ens per accidens etc.

Probatur minor: Si ens per accidens supra coacervationem importaret propriam essentiam, illa esset indivisibilis et consequenter quid unum per se; *ergo,* ens per accidens constitueret unum per se; sed enti per accidens repugnat, ut sit ens per se; *ergo,* etiam repugnat ut ens per accidens qua tale propriam importet essentiam supra illam coacervationem plurium entium per se consequenter.

Observa tamen:

Quod agere de ente rationis, de ente negativo per accidens pertineat quidem ad metaphysicam, non tamen per se; siquidem nullam rationem habent ab aliqua scientia per se attingibilem, sed tantum per accidens quatenus scilicet ad maiorem intelligentiam entis realis positivi illorum intelligentia conducit, et quatenus quaelibet scientia quae per se agit de aliquo per accidens saltem tractat de opposito illius iuxta illa axiomata: *Opposita iuxta se posita magis ellucescunt,* et: *Oppositorum eadem est disciplina.* Certum autem est ens rationis, ens negativum, ens per accidens enti positivo et reali opponi. Ideo

Dico secundo:

Neque solus Deus, neque ens finitum, ut sub se comprehendit decem praedicamenta, est obiectum adaequatum metaphysicae. *Probatur prima pars:* Omnia quae tractantur in aliqua scientia debent reduci ad obiectum adaequatum vel tanquam partes vel tanquam proprietates illius; sed quae tractantur in metaphysica non reducuntur sic ad Deum; *ergo* etc. Ubi

Adverte

Quod et omnia quae tractantur in metaphysica reducuntur ad Deum tanquam effectum ad causam et tanquam ad omnium ultimum finem, non

tamen ex hoc sequitur Deum esse obiectum adaequatum metaphysicae: tum quia non attingit metaphysica ea omnia de quibus agit, ut sunt effectus Dei, et ut ad Deum tanquam ad causam et ultimum finem ordinans, sed illa secundum se et secundum suas formales rationes attingit; tum etiam quia sic solum unica scientia deberet admitti in rerum natura, quae haberet pro obiecto adaequato Deum, cum omnia obiecta omnium scientiarum quae nunc assignantur sint effectus Dei, et ad ipsum tanquam ad causam primam et ultimum ordinantur finem.

Probatur secunda pars: Deus continetur sub obiecto metaphysicae; sed Deus non continetur sub ente finito ut sic; *ergo,* ens finitum etc.

Probatur maior: Deus aliquo modo est per se scibilis naturaliter; *ergo,* debet dari aliqua naturalis scientia ipsum sic scibilem attingens; sed haec nequit esse alia nisi metaphysica; *ergo,* Deus continetur etc, adeoque ens finitum ut sub se etc.

Dico tertio:

Ens reale ut est commune Deo et creaturis, substantiae et accidenti, est obiectum totale et adaequatum metaphysicae. Est communis et deducitur ex Aristotele, qui IV. *Metaphysicorum* agit: Est scientia quaedam, quae speculatur ens, prout est ens, et quae ei insunt. Quod

Probatur: Quia omnia quae ad obiectum scientiae requiruntur in ente reali reperiuntur respectu metaphysicae; *ergo,* ens reale est obiectum eius adaequatum etc.

Probatur a: Quia ens reale vere datur a parte rei, habet enim quod est, seu propriam essentiam, non quidem quae per genus et differentiam explicatur, cum ens in communi sit irresolubile in plures conceptus, importat conceptum simplicem simpliciter, quod aliquid scibile dicatur, deinde habet passiones ut sunt unum, bonum, verum etc, hoc comprehensa vocabulo 'reubau', quae de ipso demonstrantur et quidem etiam de inferioribus illius scilicet a Deo et creaturis per rationem entis realis demonstrari possunt; *ergo,* ens reale modo dicto est obiectum etc.

Confirmatur: Omnia, quae in metaphysica per se considerantur, reducuntur ad ens reale, vel partes substantivae, velut propriae passiones, velut modi intrinseci illius, velut propriae passiones scilicet: ut modi intrinseci partium eius; *ergo,* legitime ens reale statuitur obiectum adaequatum et totale metaphysicae. Pro solutione argumentorum

Nota:

Quod ens in communi possit dupliciter considerari: primo, ut sub se comprehendit omnia entia tam materialia quam immaterialia, tam substantiva quam accidentalia; secundo, ut tantum comprehendit omnia entia immaterialia quam substantiva quam accidentalia, intelligendo per entia immateri-

alia non solum illa, quibus repugnat cum materia conjungi, ut est Deus et intelligentiae, etiam omnia illa praedicata quae ex natura sua ita praescindunt a materia, ut possunt esse, immo de facto sunt et dantur in aliquibus sine materia seu quod idem est, sunt ex natura sua ad esse materiale et non materiale indifferentia, huiusmodi sunt: substantia, accidens, essentia, existentia, causa etc.

Nota secundo.

Metaphysica prout de ipsa hic agimus statui pro obiecto eius adaequato ens reale, ut sub se comprehendit entia immaterialia solum, sive secundum essentiam, ut est Deus et intelligentiae, sive secundum processionem, ut sunt omnia entia, quae ex natura sunt indifferentia ad conjungi cum rebus materialibus et immaterialibus et in hoc sensu conclusio nostra intelligenda est; ex quo facile resolvitur, quaenam metaphysica consideret?

Respondeo: Considerationem eius etiam se extendere ad rationem non solum entis realis in communi, et passiones cum illo convertibiles entis realis, quae in sua ratione formali praescindunt a materia modo dicto. Quod ut melius percipiatur

Nota tertio:

Quod substantiae immateriales per essentiam, ut sunt Deus, angeli, possunt considerari secundum diversos conceptus, nam vel conceptus proprii desumuntur ex communibus rationibus, vel ex propriis rationibus? Conceptus proprii ex propriis rationibus dicuntur illi, qui desumuntur a propria substantia vel essentia, ut qui desumuntur in Deo ab ipsa deitate secundum suam rationem formalem, et angelis a sua ratione formali et quidditativa eorum; qui quidem conceptus pro hoc statu a nobis cognosci non possunt. Conceptus proprii ex rationibus communibus sunt illi, qui ex aliquo conceptu communi ratione alicuius adjuncti in materialibus substantiis appropriantur – ut quando conceptus communis entis ratione infinitatis appropriatur soli Deo, et quando conceptus substantiae ratione immaterialitatis appropriantur solis substantiis immaterialibus; substantiae immateriales pariter possunt considerari secundum conceptus proprios desumptos ex propriis rationibus, ut quando v.g. homo consideratur secundum rationem rationalis risibilitatis etc, vel secundum conceptus proprios desumptos ex communibus, ut quando ipse homo consideratur secundum substantiae rationem consideratae per materialitatem, vel secundum rationem communem natura contracta per rationalitatem, risibilitatem etc. Sic tam substantiae materiales quam immateriales possunt considerari secundum rationes communes, ut sub ratione entis praecise, sub ratione substantiae praecise. Hoc observato

Dicendum venit quod omnes substantiae (idem est de accidentibus distributione accomoda) tam materiales quam immateriales secundum concep-

tus communes praecise sumptos pertineant ad metaphysicam considerationem, omnes e praedictis conceptibus abstrahunt a materia. Deinde substantiae per essentiam immateriales ut sunt angeli secundum conceptus proprios desumptos ex communibus, et secundum eosdem conceptus substantia immaterialis increata, ut est solus Deus ad metaphysicam spectant considerationem. Patet hoc, quia praedictae substantiae secundum tales conceptus abstrahunt a materia, et quia ut sic sunt naturaliter scibiles et cognoscibiles, non quidem ab alia scientia, nisi a metaphysica, adeoque etc. Pro conceptibus propriis substantiarum immaterialium desumptis ex propriis rationibus illarum est advertendum, quod sit maxima differentia inter conceptus proprios Dei, et intelligentiarum. Nam conceptus proprii Dei cum desumantur ab ipsa deitate quae est speculum voluntarium, hoc est si vult, videtur si non-non, non sunt naturaliter scibiles, et sic nec cognoscibiles, nec scibiles per aliquam naturalem scientiam; unde semper ad scientiam supernaturalem, id est theologiam pertinent subposita revelatione. Conceptus vero proprii intelligentiarum, qui scilicet a propriis rationibus desumuntur, cum sumantur ab obiectis naturalibus, et naturaliter scibilibus necessario pertinent ad aliquam naturalem scientiam; sed non ad aliam quam metaphysicam cum haec entia a materia abstrahentia consideret, et nulla alia scientia aptior assignetur vel assignari possit. Denique ut nullus supersit scrupulus aliqui metaphysicorum dividunt in metaphysicam in se et quoad nos, volentes metaphysicam in se esse illam, quae praescindendo a statibus, et considerata respectu intellectus nostri absolute, seu ex natura propriae res immateriales considerat, et ad hanc metaphysicam agere de conceptibus propriis intelligentiarum desumptis a propriis rationibus illarum spectat; metaphysicam vero quoad nos appellant illam, quae considerat tantum res immateriales seu abstrahentes a materia, naturaliter ab intellectu pro hoc statu scibiles et ad metaphysicam sic sumptam non pertinet agere de praedictis conceptibus propriis intelligentiarum a propriis rationibus desumptis, quia et has rationes possit intellectus noster ex natura propria cognoscere non tamen illos pro hoc statu cognoscere valet, nisi facta illorum revelatione. Consequenter etc.

Qaestio secunda: Sub qua ratione ens reale sit obiectum metaphysicae?

Dico ens reale sub ratione entis realis seu quatenus est ens reale est obiectum metaphysicae.

Probatur: Ens sub ratione entis constituitur in tali gradu, in quo illi ut sic primo et per se insunt passiones, et per illam rationem de illo demonstrantur in metaphysica; *ergo:* haec est vera et propria ratio formalis determinans ens reale ad considerationem metaphysicam. Unde essentia abstracta per essentiam vel indifferentiam sint immaterialia, adhuc obiectum illius scientiae quae talia entia considerat statui debet ens in quantum ens, non autem materiale, quia passiones metaphysice se ipso demonstrabiles non competunt enti,

quatenus immateriale est, sed quatenus est ens praecise, et solum potest dici, quod ratio formalis obiecti metaphysicae connotet necessario abstractionem a materia, et talis abstractio non sit ratio formalis obiecti; *ergo,* ens reale sub ratione entis etc.

Objicies primo:

Obiectum scientiae debet habere haec propria principia et passiones de ipso demonstrabiles per talia principia; sed ens reale in praefata amplitudine sumptum nihil horum habet; *ergo,* ens reale non est etc.

Probatur minor: Non habet principia, quia est conceptus simpliciter simplex non resolubilis in plures conceptus; *ergo,* ens etc. Neque habet passiones, quia subiectum non est de essentia suae proprietatis, ens autem sic sumptum essentialiter in quacumque re et realitate includitur; *ergo,* ens reale in praefata amplitudine etc non habet passiones etc.

Respondeo negando minorem; ad probationem eius dico: Quod ens reale non habeat plures partes aut formalitates ipsum constituentes, habet tamen suam naturam per quam principiat sufficienter proprietates, et non habeat principia essendi, causas scilicet intrinsece se componentes, habet tamen principia cognoscendi scilicet praemissas demonstrationis, in quibus definitio subiecti assumitur ut medium, et hoc sufficit ad obiectum scientiae; habet enim suas passiones, in quibus realiter et inhabitatur, non tamen essentialiter, cum non sint formaliter entia sed tantum realiter etc.

Objicies secundo:

Ratio materialis obiectiva debet esse diversa a formali; sed in ente ut sic talis formalitatum diversitas assignari non potest, eo enim ipso quod sit primus et supremus conceptus non potest resolvi in diversos conceptus obiectivos; *ergo,* ens reale sub ratione entis realis nequit esse etc.

Respondeo: Maiorem non esse universaliter veram; nam definitio rei est quidem ratio formalis constituendi aliquid inesse obiecti alicuius scientiae, si illud obiectum habeat definitionem adaequatam, et quid rei; si vero obiectum non habeat definitionem (inquit Luchetus) sicut Deus, qui est obiectum theologiae, et ens in quantum est obiectum metaphysicae, tunc ratio formalis explicatur sub nomine abstracti, puta Deus sub ratione deitatis et ens sub ratione entitatis. Tunc proinde etiam in obiecto alicuius scientiae debent esse duae rationes, una materialis et alia formalis, quando passio quae demonstratur de illo obiecto non convenit ipsi secundum totam rationem, sed tantum secundum aliquam formalitatem eius; in proposito autem passiones quae demonstrantur de ente conveniunt ipsi secundum totam rationem quae prae se fert ens; neque enim ens includit aliquam formalitatem secundum quam non competant ipsi passiones, ac proinde non est opus, ut in ente ratio materialis obiectiva sit diversa a ratione formali, adeoque ens reale, quatenus reale etc.

Quaeres primo: An metaphysica sit scientia, et qualis?

Respondeo: Metaphysica est vere et proprie scientia, et quidem ex omni parte speculativa. Ita subtilium Magister cum suis omnibus.

Probatur prima pars: Ut aliqua facultas sit scientia proprie dicta sufficit ut habeat obiectum, quod constet propriis passionibus et aliquo principio, per quod de eo sunt tales passiones demonstrabiles; sed talis est metaphysica; *ergo,* metaphysica est scientia etc.

Probatur minor: quia ens habet aliqua principia, si non essendi saltem cognoscendi; habet enim passiones vere de ipso demonstrabiles per ipsam rationem entis; et in ipso Deo ex quibusdam prioribus attributis, alia quaedam attributa demonstrantur in metaphysica, ut immortalitas ex immaterialitate, immutabilitate; *ergo,* metaphysica vere et proprie est scientia.

Consequens: Scientia est cognitio certa et evidens rei necessariae; sed metaphysica est talis cognitio; *ergo,* metaphysica est scientia.

Probatur minor: In Metaphysica habentur demonstrationes a priori, ut omne ens est bonum; sed substantia est ens; *ergo,* est bona etc; consequenter habentur demonstrationes etc. Habentur enim demonstrationes a posteriori; nam multitudo et varietas entium dependentium, et alia similia demonstrantur in metaphysica, esse aliquod ens actu, et simpliciter independens, et summe necessarium, ut patebit in fine Deo dante; *ergo,* etc; *consequenter,* etc.

Probatur secunda pars: Tum authoritate Aristotelis, 6 *Metaphysicorum,* capite primo dividentis philosophiam speculativam in physicam, metaphysicam et matematicam, tum authoritate Scoti, 6 *Metaphysicorum,* quaestione prima dicentis: Ens quod est obiectum metaphysicae est mere speculativum; *ergo,* tam ex Philosopho quam Doctore Subtili etc. Et quamvis philosophia Deum consideret, non tamen descendit ad regulandos actus nostros, quos circa Deum exercere debemus, sed hoc reliquit morali philosophiae. Similiter quamvis demonstret Deum esse summum bonum et nostrum ultimum finem naturalem non tamen dictat practice, quomodo, quibusque mediis hic finis possit acquiri; sed modo mere speculativo ratione ultimi finis, et summi boni contemplatur, quatenus scilicet est in se; *ergo,* undequaque est mere speculativa. Unde esto theologia quae est de Deo, ut de obiecto sit practica non tamen ideo praecise quod agat de Deo, sed ideo quia versatur circa Deum ut ultimum finem a nobis acquirendum, et praescribit modum et media, quibus Deum ut finem supernaturalem possimus assequi et considerat operationes nostras ut in ultimum finem ordinabiles, ita ut theologia et metaphysica non differant solo nomine sed vero rationibus formalibus et modis, quibus versatur circa Deum. Siquidem metaphysica agit de primis rerum causis, de primis essentiis supremisque praedicatis sistendo in simplici eorum contemplatione et ex se ad nudum ordinatur opus, neque physicum, ut est medicina, ne-

que morale, ut ethica, nec supernaturale, ut theologia. Igitur concludendum est, eam esse simpliciter et absolute speculativam. Sed

Dices contra secundam partem: Metaphysica quatenus agit de Deo inclinat ad actus practicos; *ergo,* saltem quoad hanc partem est practica.

Probatur a: Metaphysica dum agit de Deo ostendit esse summum bonum et ultimum finem omnium; sed ex cognitione harum veritatum cognoscitur Deum esse summe diligendum, cuius veritatis cognitio est practica, inclinat et ad praxim, scilicet ad amorem Dei; *ergo,* metaphysica in quantum agat de Deo est scientia practica.

Respondeo distinguendo a: Metaphysica ut agit de Deo etc formaliter et proxime, *nego a;* virtualiter et remote, *concedo a,* et *nego conclusionem.* Etenim ad inferendam conclusionem practicam duae praemissae requiruntur, una ostensiva bonitatis alia directiva, v.g: Summum bonum esse diligendum; sed Deus est summum bonum; *ergo,* est diligendus.

Maior est directiva in generali acceptione et formaliter practica, sed non ad metaphysicam verum ad philosophiam moralem pertinet.

Minor est ostensiva veritatis et formaliter speculativa pertinetque ad metaphysicam. Dicitur tamen 'virtualiter practica', quatenus partialiter deservit in praedicto syllogismo ad veritatem formaliter practicam inferendam h.e. nihil aliud est, quam quod veritas speculativa ad metaphysicam spectans, sit apta ut assumatur a scientia practica (ut est philosophia moralis) tanquam medium partiale seu causa partialis ad suas conclusiones practicas inferendas et elliciendas. Adeoque etc.

Quaeres secundo: An metaphysica sit etiam sapientia?

Respondeo cum Aristotele et peripateticis omnibus affirmative. Ratio est quia metaphysicae conveniunt omnes conditiones ad sapientiam requisitae.

Prima conditio est, quod sapientia sit scientia universalis et, quantum fieri potest, circa omnia versatur quae recte applicantur metaphysicae.

Secunda est, ut versetur circa res difficiles et a sensibus valde remotis, et hoc etiam convenit metaphysicae, siquidem obiectum eius abstrahit a materia, et consequenter etiam a sensibus est remotum.

Tertia est, ut sit valde certa et idonea ad docendum; et talis etiam est metaphysica, quae certitudine sua aliarum scientiarum obiecta confirmat, doceturque per causas magis universales, quod discursus de omni re possit fieri.

Quarta est, ut sit cognitio sui et non ordinatur ad aliud, et haec conditio per se patet. Quinta tandem est, ut alii non serviat, neque ministret sed potius aliis praesit et imperet; et haec quoque convenit metaphysicae tum ratione dignitatis et excellentiae, qua omnibus scientiis naturalibus praeeminet

et ob suum obiectum praemiale scilicet Deum et angelos, tum ratione universalitatis quam habet ratione obiecti adaequati quod est superius ad obiecta aliarum scientiarum; *ergo,* metaphysica ex omni parte est sapientia adeoque etc.

Disputatio II: De natura entis et illius divisionibus

Ens reale statuimus pro obiecto metaphysicae, oportet iam ad praecipuas difficultates, quae illud circa controvertuntur accedere. Porro nomine entis realis nihil aliud communiter intelligitur, quam id, cui non repugnat a parte rei existere, hoc est, nulla intellectus consideratione interveniente, in quo differt ab ente rationis. 'Ens' etymologice a verbo 'sum' deductum, nihil aliud significat quam 'esse'; et potest sumi dupliciter.

Primo, percipialiter seu verbaliter hoc est tanquam participium ab ipso verbo 'sum' deductum.

Secundo, nominaliter hoc est tanquam nomen substantivum a verbo 'sum' derivatum; unde si sumatur hic ex vi participii tempus significaretur; significat etiam exercitium existentiae seu rem actu existentem; si vero secundo modo significat ipsum esse positivum rei praecise, contradistinctum a 'nihilo', in qua acceptione 'ens' praescindit ab existentia. Definitur etiam 'ens reale ut sic' a Doctore, *Quodlibetalium,* quaestione tertia: Non quidem definitione explicante per genus et differentiam, cum non componatur sed definitione late sumpta, qua definivimus, etiam 'formalitates metaphysicas' quod sit illud, quod habet vel potest habere entitatem extra animam, seu cui non repugnat realis et positiva existentia Unde ens de suo conceptu formali importat aliquam rem positive praecisam. His suppositis, sit

Quaestio prima: An ens habeat conceptum unum tam formalem quam obiectivum?

Nota: Quod *conceptus formalis* sit cognitio rei, seu actus intellectus, et dicitur *conceptus* eo quod sit *proles mentis.* Dicitur 'formalis', eo quod per ipsam formaliter intelligamus et quod sit quaedam forma informans intellectum. Conceptus vero *obiectivus* est ipsa res mente concepta, quae dicitur 'conceptus' a denominatione extrinseca desumpta a conceptu formali, qua dicitur concipi et dicitur 'obiectivus' eo quod objiciatur potentiae, et non sit forma ipsi potentiae inhaerens. Differunt autem hi conceptus in eo quod conceptus formalis sit semper aliqua res positiva intellectui inhaerens, ut patet ex dictis. Obiectivus vero non semper est vera et positiva res, cum entia rationis et negationes etiam intellectui objiciantur. Deinde conceptus formalis est semper singularis in essendo, esto aliquando sit universalis in repraesentando; obiectivus vero potest esse singularis vel universalis in es-

sendo, cum tam universalia quam singularia intellectui possint esse cognoscenda. Siquidem his perspectis

Dico primo:

Tam conceptus formalis quam obiectivus entis est univocus. Quoad primam partem est communis; quoad secundam vero Scoti et scotistarum.

Probatur prima pars: Actus cuiuscumque potentiae tendentis in obiectum est entitative unus; sed conceptus formalis entis est actus intellectus tendentis in suum obiectum; *ergo,* est entitative unus.

Probatur secunda pars: Intellectus certus de uno et dubius de alio diversum conceptum format, obiectivum de illo de quo est certus, ac de illo de quo est dubius; sed intellectus noster potest esse certus quod cum aliquid concipit, sit ens, et dubius an sit creatura vel Deus, substantia vel accidens; *ergo,* diversum conceptum obiectivum format de ratione entis, ac de ratione Dei et creaturae, substantiae et accidentis.

Maior ex se patet, *minor* autem est certa; nam aliqui philosophi fuerunt certi de qualitate quod sit ens, dubitabant tamen an sit substantia vel accidens; *ergo,* evidens est illos formasse unum conceptum entis distinctum a conceptibus substantiae et accidentis; *adeoque,* etc.

Probatur secundo eadem pars: Unitati conceptus formalis necessario correspondere debet unitas conceptus obiectivi; sed ens ut hic sit habet in mente nostra unum conceptum formalem a conceptibus inferiorum distinctum; *ergo,* necessario etiam habere debet unum conceptum obiectivum.

Probatur maior: Tum quia conceptus formalis determinatur et specificatur a conceptu obiectivo, tum etiam quia conceptus formalis est ipsamet intellectio; sed implicat intellectionem alicuius rei non esse intellectivam; cum etiam actus intellectus debeat ex natura sua tendere in aliquod obiectum, sequitur quod cuilibet actui intellectus necessario correspondere debeat una ratio obiectiva; *igitur, etc.*

Nunc controversia:

An praedictus conceptus objectivus sit adaequate praecisus a Deo et creaturis, substantia et accidente? Pro cuius solutione

Nota: Tunc aliquid dicere conceptum perfecte praecisum, quando ita abstrahit ab inferioribus rationibus (si ex natura rei hoc saltem per intellectum repraesentatur) ut nullatenus rationes inferiorum dicat, et conceptus sic praecisus est perfecte unus, et dicit rationem aliquam communem sic contrahibilem et determinabilem per peculiares rationes; tunc vere imperfecte praecisum est, quando non ita abstrahit a rationibus inferioribus (ut saltem implicite, nec ex natura rei, nec ut adhuc per intellectum repraesentatum) ut saltem implicite et confuse non dicat peculiares illarum rationes sed tantum

ab explicatione earum praescindit, et conceptus sic praecisus non est perfecte unus, nec dicit aliquam rationem communem sic contrahibilem per peculiares rationes, sed dicit plura inferiora confuse, per modum unius conceptus. Unde conceptus perfecte praecisus solet dici adaequatus seu praecisio qua sic praescinditur adaequata praecisio, sic autem per eam abstrahitur conceptus unus, ut secundum se totum concipiatur nihil rationum peculiarium, a quibus abstrahitur concipiendo, nec implicite nec explicite, sicut quando concipitur animalitas, quae ita sola concipitur, ut nec implicite nec explicite rationes per quas contrahitur concipiantur. Conceptus vero imperfecte praecisus solet etiam fieri inadaequatus, seu praecisio inadaequata quia per eam ita abstrahitur conceptus imperfecte unus, ut saltem implicite rationes peculiares dicat. His ergo omnibus et singulis visis et notatis

Dico secundo:

Ens dicit conceptum unum perfecte praecisum a Deo et creaturis, substantia et accidente. Et iuxta explicationem conceptus perfecte praecisi debet esse omnium scotistarum.

Probatur ratione Scoti – pro secunda parte conclusionis: Prima tunc aliqua ratio dicit conceptum perfecte praecisum, quando ita concipitur, ut non percipiantur aliquae rationes peculiares; atqui sic potest concipi ratio entis; *ergo,* ens dicit conceptum perfecte praecisum.

Probatur minor: Nam potest esse aliquis certus quidpiam esse ens, quin habeat certitudinem de aliqua peculiari ratione scilicet de ratione Dei, creaturae, substantiae et accidentis; *ergo,* potest concipi etc, *adeoque,* etc. Sed

Respondeo: Communiter thomistae praedictam rationem probare quidem rationem entis, seu conceptum entis esse praecisum, non tamen perfecte, quia – inquiunt – et praedictus conceptus non dicat explicite rationes peculiares, dicit tamen eas saltem implicite ita ut conceptus entis non sit absolute distinctus obiective a conceptibus rationum peculiarium, sed sit potius obiective idem, et tantum secundum quid, hoc est secundum maiorem vel minorem expressionem distinctionis. Hoc est placitum thomistarum. Sed arguendo ad hominem

Contra est – primo: Ratio animalitatis concepta absque peculiaribus rationibus, etiam secundum thomistas dicit conceptum perfecte praecisum a suis inferioribus; sed conceptus 'animalitatis' secundum eosdem saltem implicite dicit inferiora; ergo, etiam ratio entis esto implicite diceret inferiora, adhuc secundum thomistas deberet importare conceptum perfecte praecisum.

Contra – secundo: In conceptu entis nullatenus potest intelligi inclusio inferiorum; *ergo,* non datur talis inclusio, et consequenter conceptus entis est perfecte praecisus ab inferioribus.

Probatur a: Illa inclusio nequit intelligi ita ut ens coniunctive significet omnia inferiora, scilicet Deum et creaturas, ut aliqui dicunt, neque potest intelligi ita, ut ens significet aliquod particulare, et caetera per attributionem ad illud, scilicet Deum immediate, et creaturas per attributionem ad Deum; *ergo,* in conceptu entis etc.

Probatur a ad primam partem: Quia ex hoc sequeretur, quod hae propositiones: Deus est ens, creatura etc essent falsa, haberent enim hunc sensum: Deus est Deus et creatura, creatura est creatura et Deus; sed hoc est falsum; *ergo,* est illud, quod nullus concedit.

Probatur ad secundam partem: Quia iterum haec propositio: Creatura est ens – faceret hunc sensum: Creatura est Deus ad quem omnia attribuuntur; nam hoc iuxta solam explicationem, li 'ens' significaret; sed hoc non; *ergo,* neque illud; neque denique illa propositio potest intelligi ita, ut ens disiunctive significet Deum vel creaturam, substantiam vel accidens; nam signaret inferiora hoc modo: tunc nomen 'ens' non esset impositum ad significandam illam rationem unam conveniendi, quod nullus dicat. Praeterea hae rationes seu propositiones essent falsae: Substantia est ens; accidens est ens, cum facerent hunc sensum: Substantia est substantia, vel accidens est accidens cum substantia, quod est falsum; *ergo,* nullatenus potest intelligi inclusio inferiorum et per consequens conceptus entis est perfecte praecisus a suis inferioribus.

Objicies primo:

Nihil praescinditur perfecte ab illo quod est de essentia illius; sed inferiora et eorum differentia sunt de essentia entis; *ergo,* non perfecte praescinduntur.

Probatur minor: Ens non contrahitur ad inferiora per aliquid quod est de essentia eius; atqui contrahitur ad inferiora per differentias; *ergo,* ens non dicit conceptum perfecte praecisum etc.

Respondeo: nego minorem. Sicut enim homo non est de essentia animalis; neque differentia illius, ita neque Deus et creatura, substantia et accidens, neque eorum differentia scilicet finitas et infinitas, perseitas et inaleitas sunt de essentia entis; unde *nego minorem a.*

Probatur: Nam ens contrahitur per finitatem et infinitatem, perseitatem et inaleitatem, quae sunt aliquid superadditum conceptui communi entis. Sed dices *Contra:* Vel id, per quod contrahitur ens, sit ens, vel non ens. Si est ens; *ergo,* de essentia entis, et consequenter ens non contrahitur per aliquid illi superadditum; seu quod non sit de essentia eius, si non est ens; *ergo,* per nihil contrahitur, quod non est dicendum. Conclusio patet, quia inter ens et non ens non datur medium. *Respondeo:* Quod id per quod contrahitur ens sit ens realiter et identice, quippe realiter identificatum cum ente, non tamen est ens formaliter, ita ut de suo conceptu formali sit ens, sicut similiter id, per

quod contrahitur animal, est animal realiter et identice, quippe realiter identificatum cum animali, non tamen est animal formaliter, ita ut de conceptu suo formali sit animal. Unde negatur prima consequentia: ut enim aliquid sit de essentia entis, non sufficit quod sit ens realiter necessarium, sed est necessarium quod sit de conceptu formali illius, ex quo tamen non sequitur, quod id per quod contrahitur ens, sit nihil, nam inter nihil et ens formaliter datur medium scilicet ens realiter, quod enim est nihil, id neque formaliter neque realiter est ens.

Objicies secundo:

Si daretur conceptus entis sic praecisus a Deo et creaturis, jam daretur aliquid prius et simplicius Deo, constitutivum enim est prius constituto; deinde daretur in Deo compositio ex actu et potentia, ratio enim entis sic abstracta haberet se per modum contrahibilis et potentialis; ratio autem differentialis haberet se per modum contrahentis et actus. Similiter Deus et creatura non essent primo diversa, sic quidem in illa ratione entis, perfecte praecisa convenirent; sed haec implicant omnia; *ergo,* non datur conceptus sic praecisus etc.

Respondeo ad primum – distinguo sequellam: Daretur aliquid prius Deo, in esse seu in realitate, *nego sequellam;* in conceptu seu in subsistendi causa, *concedo sequellam,* hoc est nullum est inconveniens bene enim valet juxta omnium consensum: est Deus; *ergo,* est ens; *ergo,* vero econtra est ens; *ergo,* est Deus. Esset tamen inconveniens si daretur aliqua realitas constitutiva Dei ipso Deo prior. Alii dicunt, daretur aliquid prius Deo, prioritate logica, *concedo,* physica, *nego;* sed hoc est idem quod nos dicimus. Similiter *distinguo aliud membrum:* Daretur aliquid simplicius Deo, simplicitate apposita resolubilitati, *concedo;* compositioni, *nego;* vel simplicitate conceptus, *concedo;* rei, *nego a.* Ens enim est irresolubile in plures conceptus; Deus autem in plures conceptus est resolubilis. Unde et Deus habetur summe simplex, non tamen est simpliciter simplex, cum possit in plures resolvi conceptus.

Respondeo ad secundum – distinguo a: Daretur in Deo compositio ex actu et potentia in realitatibus, *nego a;* in nostris conceptibus imperfecte realitatem Dei concipientibus, *concedo a.*

Ad tertium similiter distinguo a: Deus et creatura non essent primo diversa in realitate, seu ut sunt in se realiter, *nego a;* in conceptu seu ut subsunt conceptui nostro, *concedo* a. Sed contra

Dices: Aristoteles, octavo *Metaphysicorum,* textu l6to dicit: Ens ut tale statim esse substantiam, quantitatem, qualitatem; *ergo,* nullum perfecte praecisum conceptum ens dicit ab illis.

Respondeo: Aristotelem ibi arguere contra dicentes, ens per aliquid distinctum realiter ad praedicamenta descendere, et sic tantum intendit, quod

ens non per aliquid distinctum realiter ad praedicamenta descendet. Consequenter etc.

Quaestio II: An praedictus conceptus entis sit praecisus a Deo et creaturis ante operationem intellectus, seu an ex natura rei ab eis distinguitur?

Supponit praesens quaestio dari distinctionem formalem ex natura rei inter gradus superiores et differentiales, et sensus quaestionis est: An sicut animal v.g. ex natura rei praescindit et distinguitur a suis inferioribus seu differentiis per quas ad illa contrahitur, ita ex natura rei praescindat et distinguatur ratio entis a Deo et creatura. Pro quo

Dico: Conceptus entis respectu Dei et creaturae non praescindit nec distinguitur ex natura rei ab eis; quippe non fundatur in aliqua communi realitate quae sit una in Deo et creatura per inexistentiam vel indifferentiam a parte rei. Ita validiores scotistae ut Luchetus vulpes Mastrius, tomo primo *Metaphysicae,* distinctione secunda, quaestione quarta contra aliquos scotistas ut Pontium etc. Quod

Probatur primo – authoritate Scoti, in I, distinctione octava, quaestione tertia dicentis: Deus et creatura non sunt primo diversa in conceptibus, sunt tamen primo diversa in realitate quia in nulla realitate conveniunt. Plura similia apud Scotum signantur; ergo, conceptus entis etc.

Probatur secundo – ratione: Si conceptus entis diceret realitatem ex natura rei communem Deo et creatura, daretur in Deo ex natura rei compositio ex actu et potentia, sive ex contrahibili sive ex contrahente; sed hoc non; talis enim compositio est opposita summe simplicitati divinae; *ergo,* conceptus entis etc.

Maior patet, quia realitas communis pluribus ex natura rei necessario ex natura rei est potentialis et contrahibilis et sic cum ratione contrahente ex natura rei compositionem efficiens. Nec valet converso, quod realitas entis non contrahatur per differentias, sed modos intrinsecos, et sic quod nulla datur in Deo compositio, quia dicunt, li 'realitas' quae contrahitur per differentias sit potentia, non tamen realitas quae contrahitur per modos intrinsecos. Sed

Contra: Quia admissa realitate communi ex natura rei contrahibili sive per differentias sive per modos intrinsecos semper in Deo sequitur compositio metaphysica; *ergo,* nulla solutio.

Probatur a: Illa realitas non esset de se haec seu singularis sed communis et indifferens, et modus esset ei aliquid superadditum et ex natura rei ab ea aliquo modo distinctum quid, atque ipsam ex natura rei ad esse inferioris scilicet Dei contrahens. Sed quando aliqua realitas, quae non est de se haec, sed communis per aliquid ab ea aliquo modo ex natura rei distinctum contrahitur ad esse inferioris, necessario ex natura rei habet se ut potentia et contrahens habet se per modum actus. Actus autem et potentia ex natura rei

necessario compositionem saltem metaphysicam efficiunt; *ergo*, nequit admitti aliqua realitas entis ex natura rei, etiam per modos intrinsecos contrahibilis. Sic quidem aliter in Deo non evitaretur compositio metaphysica.

Quomodo autem fiat contractio entis ad Deum et creaturam?

Nota ex Mastrio, quod ens non importat aliquam realitatem communem ex natura rei praecisam a Deo sed simplicissimum conceptum immediate abstractum per intellectum a particularibus rationibus Dei et creaturae inadaequatae conceptis. Qui conceptus deinde per actum intellectus rursus referentem illum ad inferiora, contrahibilis per particulares conceptus finiti et infiniti ad illa, habentes se ut quale seu contrahens. Unde sicut conceptus entis non est prior ex natura rei Deo et creaturae immo potius posterior cum abstrahatur ab illis, iam in suo esse constitutis, ita contractio entis, quae fit per finitum et infinitum, non est abstractio a priori sed a posteriori facta per intellectum cum fundamento in re. Econtra autem evenit in praedictis praedicamentalibus: animal etiam est realitas ex natura rei prior homine et bruto, praescindite secundum suum adaequatum conceptum ex natura rei, et ante opus intellectus a rationalitate, et irrationalitate per quas contrahitur et sic contractio per illas est a priori ex natura rei ad nullum actum intellectus spectans. Ex quibus sequitur quod in Deo solum detur compositio rationis seu per nostrum intellectum inadaequate concipientem, quae nullatenus divinae simplicitati in re opponitur; nam talis compositio solum dicit extrinsecam denominationem ab actu intellectus provenientem, quae nullam in rebus, bene tamen in intellectu imperfectionem imponit, qui unico actu non valet assequi eminentem perfectionem obiecti, ideoque illud prius concipit sub una ratione, postea sub alia et tandem utramque rationem communem scilicet et particularem ad invicem componit. In entibus vero praedicamentalibus cum dentur realitates ex natura rei et secundum suos adaequatos conceptus contrahibiles et contrahentes datur compositio quae dicit imperfectionem ex natura rei in toto ex illis constituto.

Probatur tertio: Realitas entis ex natura rei praecisa, vel esset creata vel increata, vel participata vel inparticipata; sed nullum ex his dici potest; *ergo*, conceptus entis etc.

Probatur minor: Talis realitas juxta adversarios ex natura rei reperitur in Deo et creatura; *ergo*, si esset creata vel participata aliquid creatum et participatum esset in Deo; vel si esset increata et inparticipata aliquid increatum et inparticipatum esset realiter et ex natura rei increatum; quod non; *ergo*, nullatenus debet admitti talis realitas entis ex natura rei praecisus a Deo et creatura. Sed objiciunt:

Objicies primo:

Quidquid ad actum intellectus praesupponitur dicit realitatem praecisam ex natura rei et independenter ab intellectus consideratione; sed ens se-

cundum suum proprium conceptum praesupponitur ad actum intellectus; *ergo,* dicit realitatem ex natura rei praecisam ante opus intellectus.

Probatur minor: Ens secundum suum proprium conceptum est primum et adaequatum obiectum intellectus; sed primum et adaequatum obiectum intellectus necessario habet suum esse independenter a consideratione intellectus; *ergo,* ens secundum suum proprium etc.

Respondeo: nego minorem, ad secundum distinguo maiorem. Ens secundum suum proprium conceptum est primum obiectum intellectus primitate adaequationis, *concedo maiorem;* primitate originis, *nego maiorem,* ita *minorem; nego conclusionem:* Hoc est, si sit primum primitate originis, *concedo;* primitate adaequationis, *nego.* Sicut etiam dictum est conceptum entis non esse priorem Deo et creaturis ex natura rei, et similiter contractionem talis conceptus non esse a priori sed a posteriori, ita nunc dico: ens ut sic non est obiectum primum intellectus primitate originis seu in essendo, sed potius posterius cum non detur talis conceptus ex natura rei praecisus, sed tantum per intellectum; esset tamen obiectum primum primitate adaequationis eo quod talis conceptus praecisus sub se contineat omnia, quae ad actum intellectus praesupponuntur primitate originis seu in essendo, et possunt ab intellectu attingi tanquam propria illius obiecta. Sed

Dices: Ens secundum suum conceptum aliquo modo iuxta dicta est obiectum primum et adaequatum nostri intellectus; sed obiectum primum et adaequatum qualecumque nostri intellectus debet esse reale; *ergo,* conceptus entis debet esse realis. Subsumo atqui talis conceptus si non diceret realitatem ex natura rei praecisam non esset realis, quia dependeret ab actu intellectus praescindente; *ergo,* talis conceptus dicit realitatem ex natura rei praecisam et ex se communem seu indifferentem Deo et creaturis.

Respondeo: concedo primum syllogismum; nego minorem subsumptam. Dicitur 'est conceptus entis realis et quidditativus Deo et creaturae', non quia prae se fert aliquam realitatem a parte rei communem Deo et creaturis, sed quatenus necessario involvitur in conceptu quidditativo, quem de Deo et creaturis habemus. Hinc adverte quod ens dum statuitur obiectum adaequatum intellectus nostri, et etiam metaphysicae, sumi non debeat ut suponit simpliciter, sed absolute, tam scilicet pro ratione generali entis, quam pro specificis et individualibus particularium entium rationibus, in quibus ratio entis quidditative involvitur. Et hoc pacto ens praecedit opus intellectus. Sed contra

Instabis: Intellectus intelligens ens commune Deo et creaturis aut est verus aut falsus. Si verus, ut dici debet; *ergo,* debet esse ex parte rei aliquid ens reale commune.

Respondeo: Ut sit verus sufficere quod conceptui entis correspondeat a parte rei fundamentum aliquod seu quaedam fundamentalis et virtualis convenientia quae sufficiat ad veritatem. Sed adhuc

Urgebis: Ex Scoto, in II, distinctione tertia, quaestione septima, universalitas fundatur supra communitatem naturae; *ergo,* si non daretur una realitas entis communis Deo et creaturae intellectus falso intelligeret ens commune Deo et creaturae.

Respondeo: Scotum ibi loqui de universalitate praedicamentali quae utique prae fundamento exigit realitatem et naturam pluribus communicabilem non naturam transendentalem, qualis in proposito est ad hanc etiam pro fundamento sufficit virtualis convenientia et incoata plurium similitudo ad invicem.

Objicies secundo.

Impossibile est aliqua pura secundum unam et eandem rationem simul convenire et disconvenire; sed Deus et creatura conveniunt in ratione entis et disconveniunt in propriis rationibus Dei et creaturae; *ergo,* ratio entis in Deo et creatura est distincta a propriis ipsorum rationibus.

Respondeo: Cum Mastrio distinguo maiorem. Impossibile est aliqua etc: actu et formaliter, *concedo maiorem;* impossibile est etc, fundamentaliter et virtualiter, *nego maiorem; distinguo minorem:* Deus et creatura conveniunt etc actu et formaliter, *nego maiorem;* disconveniunt actu et formaliter in propriis rationibus et conveniunt fundamentaliter et virtualiter in ratione entis, *concedo minorem* et *nego consequentiam.* Etenim attenta realitate seu prout se res habent ex natura rei nulla datur actualis convenientia inter Deum et creaturam; nam ut passim tenet Doctor, Deus et creatura in realitate sunt primo diversa, id est, nullatenus ex natura rei est in aliqua realitate convenientia, sed quia cum differentia in realitate optime compati potest convenientia in conceptu, ideo dicimus quod et Deus et creatura sint primo diversa in realitate sunt tamen convenientia in conceptu obiectivo entis, et quia talis conceptus entis habet fundamentum in re scilicet quod tam Deus quam creatura sint nata causare conceptum illis communem quoad rationem essendi apud intellectum inadaequate concipientem ideo dicimus Deum et creaturam convenire realiter et in ratione entis non quidem actualiter, sed tantum fundamentaliter. Nulla etiam est contradictio quod aliqua secundum eandem rationem actu et formaliter differant, et solum fundamentaliter et virtualiter conveniant; sicut nulla est contradictio in hoc quod sol secundum eandem formam sit virtualiter callidus et non formaliter.

Contra: Eadem convenientia est inter hominem et brutum in ratione animalis quae est inter Deum et creaturam in ratione entis; sed convenientia inter hominem et brutum est in realitate ex natura rei praecisa; *ergo,* etiam inter Deum et creaturam est in realitate ex natura rei praecisa, vel si hic non est, nec ibi erit.

Respondeo: nego maiorem. Non enim est eadem convenientia inter Deum et creaturam in ratione entis quae est inter hominem et brutum in ratione

animalis. Quod autem animal et aliae naturae praedicamentales dicant realitatem ex natura rei praecisam a peculiaribus rationibus inferiorum, non autem dicat ens. Ratio huius est quia species et individua omnino non sunt primo diversa sed aliquid idem entia, id est in aliquo reali convenientia; at vero Deus et creatura sunt primo diversa, quae prima diversitas nequit stare cum convenientia seu realitate ex natura rei, et possit stare cum convenientia in conceptu. Deinde animalitas (idem de aliis gradibus praedicamentalibus superioribus) non exigit determinate esse hominis, seu non repugnat ei esse bruti; at vero quaelibet realitas ex natura rei Deo competens, exigit esse a se, exigit esse infinitum, independens, imparticipatum etc, ita ut ipsi esse repugnet finitum; et similiter nulla realitas ex natura rei invenitur in creatura, quae non exigat determinate esse ab alio esse dependens etc, ut in rationibus pro conclusione nostra exposuimus.

Objicies tertio:

Deus non est ex eo Deus, quia est ens; *ergo,* ratio entis et deitatis distingunt ex natura rei.

Confirmatur: Potest inveniri ratio entis in eo in quo non est ratio deitatis, scilicet in creatura.

Respondeo: nego a: loquendo de eo quod est a parte rei. Eo enim omnino Deus est ens a parte rei quo est substantia a parte rei, quia eadem realitas correspondet conceptui entis et Dei a parte rei. Si vero sit sermo de eo, quod contigit ex parte intellectus concipientis inadaequate sic verum est antecedens, sed nihil contra nos. Ad consequentiam *distinguo a:* Potest inveniri ratio entis finiti in eo, in quo non est ratio Dei, concedo a; infiniti, *nego a;* nec iterum dicas, ens praescindere a ratione finiti et infiniti; siquidem hoc ipsum est, de quo controvertimus et iam supra demonstravimus rationem entis in Deo in quacumque abstractione sumptam, non posse praescindere a ratione infiniti sicut etiam rationem entis in creatura non posse praescindere a ratione finitatis. Implicat enim in creatura aliqua realitas quae non esset finita participata et dependens sicut implicat realitas in Deo, quae non esset intrinsece infinita, independens et inparticipata. Haec ratio bene impressa maximam adfert conclusioni nostrae probabilitatem proindeque bene notanda.

Dices: Conceptus entis pauciora dicit quam conceptus inferiorum, quia conceptus entis solum dicit gradum essendi, conceptus vero inferiorum dicit determinatum modum essendi a se, vel ab alio; *ergo,* nulla responsio. *Respondeo: distinguo a.* Ex vi intellectus praescindentis et inadaequate concipientis, *concedo a;* ex natura rei, *nego a,* et *conclusionem.*

Instabis: Ergo praedicatio entis de Deo et creatura erit identica seu eiusdem rationis de se ipsa.

Respondeo: concedo minorem illationem. Nam est idem de se ipso praedicatur hic, non tamen eodem modo conceptum sed diverso.

Urgebis: Conceptus entis est prior naturaliter conceptus Dei et creaturae; *ergo,* nulla solutio. Ille conceptus est prior a quo non convertitur subsistenti consequentia, sed a conceptu entis non convertitur subsistenti consequentia; valet enim: est Deus, *ergo* ens, non tamen econtra; *ergo,* etc.

Respondeo: distinguo a. Prout a nostro concipitur intellectu, *concedo a;* prout se habet ex natura rei, *nego a. Ad probationem dico:* Quod sufficiat prioritas logicalis seu rationis, ut non convertatur ens in subsistenti consequentia, adeoque etc.

Quaestio III: An conceptus entis sit univocus Deo et creaturae, substantiae et creaturis ante operationem intellectus, seu: an ex natura rei ab eis distinguitur?

Nota: Quod communiter gradus univocationis assignantur quattuor.

Illud dicitur in primo gradu (qui est omnium perfectissimus) quod convenit pluribus secundum idem nomen et ratio signata per illud est in omnibus eadem cum aequali perfectione, cum eodem modo essendi, cum eodem ordine essentiali. In hoc genere ponuntur tantum species infimae; eadem enim ratio significata per hoc nomen 'homo' invenitur in omnibus individuis, et cum aequali perfectione, cum differentiae individuales nullum gradum essentialem addunt naturis specificis, et cum eodem modo essendi, nullum enim individuum inesse alii dependet ab alio, neque unum alteri attribuitur, et cum eodem ordine essentiali eo quod natura specifica hominis, non prius ad unum individuum quam ad aliud descendat; etenim unum individuum sit prius alio in essendo, non tamen in participando naturam specificam.

In secundo gradu univocum dicitur (qui est imperfectior) quod convenit pluribus secundum idem nomen et eandem rationem, cum eodem modo essendi et cum eodem ordine essentiali; non tamen cum eadem perfectione. In hoc sensu genera univoca respectu specierum, 'animal' enim v.g. secundum idem nomen et rationem significatam convenit homini et bruto sive equo, et 'animalitas' equi non dependet ab animalitate hominis, nec econtra; neque prius est in uno quam in alio; est tamen in homine cum maiori perfectione quam in equo propter perfectiorem differentiam, scilicet rationatatem.

In tertio gradu (qui est imperfectior primo et secundo) quod convenit pluribus secundum idem nomen, et ratio significata per id est in omnibus eadem, cum eodem modo essendi, sed non eodem ordine essentiali neque cum eadem perfectione. In hoc sensu communiter dicitur, numerum esse univocum suis speciebus, quippe ratio communis numeri omnibus numeris convenit, neque unus numerus ab alio dependet in esse numeri formali, tamen prius convenit binario quam ternario etc et perfectior est in una specie, quam

alia ratione differentiarum; differentiae enim et species, ut communiter fertur, non sunt eiusdem rationis.

In quarto gradu (qui est omnium perfectissimus) quod convenit pluribus secundum idem nomen, et ratio significata est in omnibus eadem, sed non cum eodem modo essendi, nec cum eadem ratione essentiali seu ordine, nec cum eadem perfectione. In hoc sensu adstruunt scotistae cum Scoto univocationem conceptus entis. Ens enim et secundum nomen et secundum rationem significatam idem est in Deo et creatura; tamen in Deo ratio entis est independens et in creatura dependens a Deo; in Deo est prius quam in creatura; denique in Deo est cum infinita perfectione, in creatura veo finita. Primo ad quaesitum

Dico: Conceptus entis est univocus in quarto gradu univocationis Deo et creaturae, substantiae et accidenti. Ita scotistae cum Scoto probant hoc ratione posita pro prima quaestione, quae sicut probat unitatem conceptus entis et eius perfectam praecisionem, ita et univocationem convincunt. Probatur adhuc hac unica ratione. Id dicitur univocum quod secundum nomen et rationem per illud importatam convenit pluribus; sed conceptus entis secundum nomen entis, et rationem per illud immediate significatam convenit Deo et creaturae; ergo, conceptus entis est univocus etc.

Minor patet ex dictis 'Quaestionis primae', ubi ostendimus perfectam praecisionem conceptus entis ab inferioribus, quae non daretur si ens non significaret aliquid commune immediate inferioribus; haec etiam ratio immediate significata per nomen 'ens' est capacitas existentiae realis independenter ab intellectu; sed tam Deus quam creatura independenter ab opere intellectus realiter existunt; *ergo,* conceptus entis etc.

Respondeo: Atqui *maiorem* esse veram quando ratio significata per illud nomen convenit multis cum aequali perfectione, et cum eodem modo essendi, et cum eodem ordine essentiali quo quidem modo ens non convenit Deo et creaturae etc. Verum haec responsio plus probat quam intendit. Ex illa enim sequitur nihil esse univocum nisi species respectu inferiorum suorum, ut in explicatione graduum univocationis patet, quod nemo concedit. Deinde nihil dicit contra conclusionem nostram, quia et demonstret ens non esse univocum aliquo ex triplici gradu univocationis, quod nos nullatenus inficiamur. Non tamen ostendit ens non esse univocum in quarto, et in perfectionis gradu univocationis, in quo conclusio procedit, ad quem quidem gradum sufficit, quod ratio significata per nomen sit in pluribus eadem, et diversam perfectionem, diversum ordinem essentialem, et diversum modum essendi habeant in inferioribus. Et ne quaestio de re ad quaestionem de nomine reddatur, praevenit Scotus in Primo, distinctione tertia, quaestione secunda his verbis: Et ne contentio fiat de nomine univocationis, conceptum unicum Deo qui est ita unus ut eius unitas sufficiat ad contradictionem affir-

mando et negando ipsum de eodem, et sufficiat pro medio syllogistico, ut extrema unita in medio sic uno, sive fallacia aequivocationis concludantur inter se unum. Et hoc modo certum est, ens esse univocum, eo quod ratio immediata et praecise per id significata sit unum; hae enim propositiones sunt contradictoriae: ens est unum, verum, bonum etc. Similiter in hoc syllogismo bene concluditur unitas extremorum: Omne ens est unum; sed lapis est ens; *ergo,* est unum. Et similiter in hoc: Omne ens est unum; sed Deus est ens; *ergo,* Deus est unum. Ex qua Scoti doctrina confirmatur conclusio: Omne aequivocum potest assumi ad fallaciam aequivocationis; sed conceptus entis ut sic nequit assumi ad fallaciam aequivocationis; *ergo,* conceptus entis non est aequivocus quia inter aequivoca non datur medium; *ergo,* erit univocus, ac per consequens univoce convenit Deo et creaturae etc.

Objicies primo: Quando effectus non adaequat nomen causae, nomen illis commune nequit esse univocum; sed creatura est effectus Dei et non adaequat virtutem Dei; *ergo,* nomen 'ens', quod est illis commune, nequit esse univocum.

Probatur maior: Quando effectus non adaequat virtutem causae, non recipit similitudinem eius secundum eandem rationem requiritur ad univocationem; *ergo,* creatura etc.

Respondeo: distinguo minorem. Creatura non adaequat virtutem Dei secundum peculiares rationes, *concedo minorem;* secundum rationem communem significatam per nomen 'ens', *nego minorem et consequentiam,* et *maiorem.* Iuxta hoc: Si effectus secundum nullam rationem adaequet virtutem causae, *concedo;* si non adaequet secundum peculiares rationes adaequat tamen secundum rationem communem tali nomine significatam, *nego maiorem.* Creatura itaque adaequat Deum in ratione significata per nomen 'ens', si praecise consideretur, quod sufficit ad univocationem imperfectam, eo vel maxime, quod nempe neque talis adaequatio nec talis univocatio sit ex natura rei, seu in aliqua realitate, sed tantum in conceptu praeciso ut dictum est.

Objicies secundo: Id quod de uno ex inferioribus dicitur simpliciter et de alio secundum quid, non est eis univocum; sed ens simpliciter dicitur de Deo, qui de se ipso dixit: Ego sum, qui sum; de creatura vero secundum quid, iuxta illud Isaiae, quarto: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Deinde pariter de substantia ens creatum dicitur simpliciter de accidente, vel secundum quid, et deducitur pluries ex Aristotele; *ergo, ens non* dicitur univoce de Deo et creatura etc.

Respondeo: distinguo maiorem. Si per li 'simpliciter' intelligatur esse in uno formaliter et per li 'secundum quid' non esse in alio formaliter, *concedo maiorem;* si per li 'simpliciter' intelligatur in uno perfectiori modo esse, et

per li 'secundum quid' esse in alio imperfectiori modo, *nego maiorem,* sic *minorem; nego consequentiam.* Alia argumenta tantum probant univocationem entis non esse perfectam quod libenter concedimus. Unde

Conclusiones: Ens non esse univocum pure, sed univocum anallogum respectu Dei et creaturae. Ratio est, quia ut diximus in 'Magna logica', illud dicitur analogum inaequalitatis, quod convenit pluribus secundum eandem simpliciter rationem, et secundum quid diversam rationem, nempe inaequalis perfectionis differentiarum; sed ens convenit Deo et creaturis secundum eandem rationem simpliciter, et secundum quid diversam ex ratione scilicet inaequalium contrahentium, nam perfectius est in Deo quam creatura, et perfectius est in substantia quam accidente; *ergo,* ens non est pure univocum, sed etc.

Quaestio IV: Per quid contrahatur ens ad inferiora an scilicet per modos vel differentias?

Nota: Modum ut sic bene describi quod sit adjacens rei determinatio et modificatio vel quoad esse vel operari. Unde nomine modi hic venit entitas quaedam intelligenda, quae non tam ad rei essentiam, quam ad quoddam eius complementum pertinet. Duplex autem assignatur modus, scilicet intrinsecus et extrinsecus.

Extrinsecus est forma seu accidens a subiecto distinctum, ipsum afficiens et modificans, dando illi aliquod esse, quod est extra totam essentiam ut individuam et existentem in rerum natura. Tales modi sunt omnia sex ultima praedicamenta. Intrinsecus vero ex Doctore, in Primo, distinctione octava, qaestione tertia, est, qui additur rei cuius est modus non variat rationem formalem eius, quod sic intelligendum est, ut modus intrinsecus dicatur non variare rem, cuius est modus, facta comparatione cum re, quam ex natura rei modificat sic v.g. realitas quae est differentia, dicitur variare rationem formalem animalitatis, cui additur ex natura rei, quia constituit animali quandam quidditatem inferiorem quidditate animalis scilicet quidditatem hominis, ita ut ingrediatur quidditatem hominis tanquam praedicatum quidditativum. Modus autem intrinsecus non variat rationem formalem rei cui ex natura rei additur, eo quod non constituat cum illa aliquam quidditatem inferiorem quidditate illius rei cui additur, neque dicat praedicatum aliquod quidditativum ad aliquam quidditatem quidditative pertinens. Non dicit autem modus intrinsecus perfectam realitatem ex natura rei distinctam a re cuius est modus. Ratio est, quia perfectae realitates seu formalitates sunt illae quarum quaelibet potest concipi perfecto et adaequato, distincto ab alio conceptu perfecto et adaequato, quo alia concipitur; sed nequit res perfecta et adaequata concipi sine modo intrinseco; *ergo,* modus intrinsecus etc.

Maior patet ex Scoto, in Primo, distinctione 6, quaestione 3 dicente: Qundo intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo, ille conceptus

non est simpliciter simplex quin poterit concipi illa realitas absque illo modo, sed tunc est conceptus imperfectus illius rei, potest tamen concipi sub illo modo et tunc est conceptus perfectus illius rei; *ergo,* nequit res perfecte etc. Unde ex multis capitibus differt modus intrinsecus a differentia:

Primo, quia modus intrinsecus intrinsece realitatem cuius est modus perficit, differentia vero extrinsece, animal enim non intrinsece et quoad suam entitatem sed extrinsece solum perficitur per rationalitatem.

Secundo, quod realitas non poterit perfecte concipi sine suo modo intrinseco, differentia vero potest perfecte concipi; *ergo,* modus intrinsecus perfectam realitatem non dicit.

Tertio, quod differentia addita generi variet rationem formalem et quidditativam eius, at vero modus intrinsecus non variat rationem formalem et quidditativam eius cuius est modus; *ergo*, modus intrinsecus etc.

Differt etiam modus intrinsecus in multis a passione (et conveniunt in hoc quod tam modus quam passio sint extra quidditatem):

Primo, quia passio dicit perfectam realitatem distinctam ab essentia, non vero sic modus intrinsecus.

Secundo, quod essentia poterit perfecte concipi sine passione, non vero sine modo intrinseco.

Tertio, quod passio dimanet ab essentia iam constituta in suo esse perfecto, at vero modus intrinsecus est gradus perfectionis ipsius entis et non quod ab essentia perfecte constituta dimanans, *adeoque* etc. Quibus suppositis et notatis

Dico: Ens contrahitur ad Deum et creaturas per modos intrinsecos, ad substantiam vero et accidens per differentias. Ita Doctor Subtilis plurimis in locis. Quod

Probatur: Ens determinatur ad Deum et creaturam per finitatem et infinitatem; sed hae sunt modi intrinseci et non differentiae; *ergo,* etc.

Maior est certa, *probatur minor:* Differentia est realitas, modus autem non, cum sit solum gradus realitatis sine quo realitas nec concipi potest perfecte; sed infinitas et finitas extra realitatem entis determinabilis non sunt perfectae realitates, sed sunt gradus ens intrinsece perficientes intra sphaeram propriae realitatis non extra ut solet differentia perficere genus, ut dictum est in 'Logica'; *ergo,* finitas et infinitas etc. Cur autem conceptus praedicamentales contrahantur per differentias? Ratio est, quia conceptus praedicamentales ita determinantur per sua contrahentia, ut cum eis veram compositionem metaphysicam efficiant, ad quam necesse est, ut ratio contrahibilis et contrahens distinctas importent realitates, quarum una erit per aliam perfectibilis, proinde una habeat rationem generis, alia differentiae. Et quia modus

intrinsecus non addit distinctam entitatem rei modificatae; hinc entis contractio per finitatem et infinitatem non est per realitates a parte rei repertas, sed potius est per intellectum facta, et a posteriori cum fundamento in re, sicque abstractio entis per finitatem et infinitatem non fit per modum compositionis et additionis, quia modus nullam addit realitatem, sed fit per solam explicationem maioremque expressionem, quatenus conceptum illius realitatis magis explicant, et reddunt ex confuso distinctum. Ratio secundae partis est, quia ens determinatur ad substantiam et accidens per perseitatem et inalleitatem; sed perseitas est differentia constitutiva substantiae, et inalleitas est differentia accidentalis, ut dictum est in 'Logica'; ergo, ens ad substantiam et accidens contrahitur per differentias.

Inferesprimo: Ens transcendentaliter sumptum respectu Dei et creaturae non importat rationem generis, proinde Deum non esse sub genere. Ratio est, quia non contrahitur ad Deum et creaturas per differentias, sed modos. Deinde id quod habet rationem generis debet dicere perfectam realitatem ex natura rei perfecte praecisam et sic vere ex natura rei indifferentem et contrahibilem, atque in potentia ad constituendam compositionem metaphysicam; alias daretur in Deo vera compositio metaphysica; *ergo,* ens transcendentaliter etc.

Inferes secundo: Nullum esse inconveniens in hoc, quod ens reale finitum dicatur 'genus' respectu substantiae et accidentis. Hoc aptius probari non potest quam occurrendo fundamentis contrariae sententiae. Aliqui enim dicunt ens non esse genus respectu substantiae et accidentis, quia non est univocum, sed analogum respectu illorum; sed nos contrarium supra ostendimus. Alii dicunt non esse genus respectu substantiae et accidentis, quia non dicit perfectam realitatem ex natura rei praecisam. Sed negatur assumptum, nam quod in creatura detur perfecta realitas entis finiti contrahibilis per veram differentiam et quod hae realitates ex natura rei distinguantur compositionemque metaphysicam constituant, nullum est inconveniens. Alii dicunt non esse genus respectu substantiae et accidentis propter suam transcendentiam, et sic universaliter negant praedictum transcendens posse esse genus respectu suorum inferiorum. Sed

Responsio: Et ens ut commune Deo et creaturae non fit genus propter rationem datam, tamen ens finitum est genus, et dicit perfectam realitatem ex natura rei contrahibilem. Sicut esto substantia ut sic non habeat rationem generis, tamen substantia finita est vere genus, per veras differentias corporeitatis et incorporeitatis contrahibilis. Ex quo sequitur accidens pariter esse genus respectu genera praedicamentorum. Sed contra

Dices: Ex Aristotele et Scoto: Praedicamenta sunt genera superiora; sed genera superiora nullum genus posunt supra se habere; *ergo,* accidens nequit esse etc. Atqui si ens finitum et accidens ut sic essent genus, haberent prae-

dicamenta supra se genera; *ergo,* etc. Consequenter Aristoteles pluribus in locis innuit ens finitum contrahi ad decem praedicamenta per modos intrinsecos et similiter accidens ad quem praedicamenta; *ergo,* ens finitum est etc.

Respondeo: Iam in 'Logica' dictum esse praedicamenta esse genera superiora non simpliciter sed tantum secundum quid; genera autem superiora simpliciter non habent genus supra se, bene tamen genera superiora secundum quid. Ad confirmationem dico: Quando Aristoteles dicit quod ens finitum contra habetur ad substantiam et accidens, loquitur tantum quoad nostrum modum concipiendi, non autem ut in re est, nos autem de facto sic concipimus, ac per consequens et ens ut sic etc.

Quaeres: Quomodo dividatur ens?

Respondeo: Solet dividi in ens reale et rationis (ut in 'Logica'), in ens positivum et negativum, in ens possibile et impossibile. Quae divisiones non per se sed per accidens tantum ad metaphysicam pertinent, cum metaphysica solum per se de ente reali positivo agat. Ulterius dividitur in ens necessarium et contingens, in ens per se et per accidens, in ens a se et ab alio, in ens in potentia obiectiva et in actu entitativo seu in ens possibile et actu existens. Quae divisiones per se patent. Deinde ens reale dividitur in quantum et non quantum. Quantum dicitur illud, quo in sua ratione formali aliquam importat perfectionem. Non quantum dicitur illud quod nullam perfectionem involvit. Haec a scotistis dicitur prima divisio entis realis de qua in materia 'De Trinitate'. Ens quantum dividitur in ens finitum et infinitum. Rursus finitum in substantiam et accidens. Postea accidens in respectivum et absolutum. Respectivum in intrinsecus et extrinsecus adveniens. Extrinsecus adveniens subdividitur in sex ultima praedicamenta et denique quodlibet praedicamentum in suas species. Unde

Colliges: Ens non posse dici univocum enti positivo et negationibus ac privationibus, cum negatio et privatio non sint plane entia sed remotiones tantum entis, atqui enti et non enti non datur aliquid commune univocum in ratione entis; *ergo,* ens etc. Immo neque ens dicitur aequivocum respectu positivi et negativi ac privativi quia nomen aequivocum proprie significat diversas naturas in aequivocatis, negatio autem et privatio, cum nullam habeant entitatem in se, neque etiam naturas; *consequenter,* ens non potest etc.

Quaestio quinta: Expenduntur passiones entis

Nota: Tanquam certum apud omnes ens habere passiones alias incomplexas, quae competunt ei in ordine ad se ut sunt unitas, bonitas, veritas; et alias complexas, quae in ordine ad aliud illi conveniunt ut sunt: idem, diversum, divisum etc. De 'eodem' et 'diverso' sufficienter in 'Logica' diximus, sicut etiam de 'unitate' et 'divisione' nonnulla praeposuimus. Ideo

Dico primo: Unitas transcendentalis entis non consistit in duplici negatione indivisionis a quovis alio, sed in aliqua entitate positiva. Ita scotiste.

Probatur: Omnis negatio praesertim repugnantiae necessario convenit alicui ratione alicuius entis positivi; sed negatio divisionis in plura, quae prae se fert ens ratione unitatis est negatio repugnantiae; *ergo,* convenit enti ratione alicuius entis positivi: sed haec ratio positiva non potest esse ipsa ratio entis; *ergo,* alia ratio positiva entis superaddita in qua formaliter stat ratio unitatis.

Probatur subsumpta minor: Praecisa ratio entis est tantum ratio essendi absolute, non vero ratio essendi plura vel unum, abstrahit enim a ratione unius vel plurium; *ergo,* haec ratio positiva etc. Tum quia unitas est ratio fundandi proxime relationes reales aequalitatis, similitudinis et identitatis; sed negatio non potest esse ratio proxima fundandi dictas relationes; *ergo,* unitas non est negatio sed aliquid positivum.

Probatur minor: relationes dicunt entitates positivas; *ergo,* debent habere fundamentum positivum, alias fundamentum esset minoris entitatis fundante adeoque etc.

Dices contra: Ens, praeciso quocumque positivo sive formaliter sive virtualiter a se distincto, est quid unum et indivisibile; *ergo,* superflue illi additur formalitas positiva.

Respondeo: distinguo a. Est quid unum fundamentaliter et radicaliter, *concedo a;* formaliter, *nego a* et *consequentiam.* Ens enim ex sua ratione formali non est unum formaliter nec plura sed ab utroque abstrahit, adeoque etc.

Dico secundo: Veritas entis non consistit in entitate aliqua absoluta sed in entitate respectiva, quae per conformitatem entis explicatur ad intellectum, quatenus est scibile ens ab intellectu, seu unibile intentionaliter cum eo. Est scotistarum. Quod

Probatur: Veritas cognitionis explicatur per conformitatem cognitionis ad rem; *ergo,* veritas entis debet explicari per conformitatem eius ad cognitionem entis; *ergo,* veritas entis etc.

Confirmatur: Tum quia intellectus verus dicitur formaliter, quando rem intelligit ut est a parte rei; *ergo,* res dicitur vera formaliter eo quod intelligitur, seu apta est intelligi sicut se habet a parte rei. Tum etiam quia obiectum false difinitur: esse obiectum apparens, ita prout non est; *ergo,* verum erit quod ita appareat seu apparere potest ut est. Nunc

Adverte cum Mastrio quod respectus conformitatis in quo formaliter consistit veritas non sit praedicamentalis aut actualis, sed tantum tanquam entalis et possibilis. Solum enim quando actualiter determinat cognitionem dicitur actualis et praedicamentalis respectus, aptitudo autem ad fundandum talem actualem respectum conformitatis est ratio formalis veritatis et est respectus transcendentalis.

Deinde adverte: Si esset impossibilis omnis intellectus, tunc lapis v.g. esset formaliter et positive verus, siquidem tunc ei deesset conceptibilitas sicut est; respectus enim transcendentalis petit semper tendere in aliquem terminum non quidem actualem sed saltem possibilem qui in hypothesi non adesset, adeoque veritas entis non consistit.

Dico tertio: Bonitas transcendentalis, quae est passio entis, consistit formaliter in respectu appetibilitatis, vel propter se vel propter aliud.

Probatur ex Aristotele, quinto Ethicorum: Bonum ut sic esse id quod omnes appetunt. Secundo ratione: Veritas entis consistit in intelligibilitate illius; ergo, bonitas in appetibilitate consistit.

Probatur consequentia: Sicut se habet verum ad intellectum, ita bonum ad voluntatem; sed verum non addit super ens nisi conformitatem ad intellectum; *ergo,* a priori bonum non addit nisi convenientiam et appetitum etc. Sed

Adverte: Duplicem esse bonitatem; una est primaria quae est ipsamet quidditas et essentia rei; quaevis autem res habet suam essentialem perfectionem et intelligibilitatem. Alia est bonitas secundaria et haec appellatur per aptitudinalem conventiam ad appetitum, quae potest movere, et ratione huius bonitatis quaevis res dicitur appetibilis, vel per modum finis, vel medii ad aliquem finem conducibilis; et in hoc secundo sensu bonitas dicitur 'affectio entis'.

Deinde adhuc adverte: quod respectus transcendentalis bonitatis, quem importat bonitas transcendentalis, non sit praedicamentalis sed transcendentalis; quod autem res actualiter appetitur tunc fit actualis et praedicamentalis talis appetitus. Sed contra

Dices: Bonitas est prior appetibilitate; *ergo,* non consistit in illa appetibilitate.

Respondeo: distinguo a. Bonitas primaria et essentialis, *concedo a;* secundaria et quae est passio entis, *nego a;* similiter consequenti, *nego consequentiam.* Ex his igitur colligi potest quod dictae tres proprietates debeant definiri.

Unitas bene definitur quod sit indivisio entis in se, et divisio a quocumque alio a se. Quae unitas etiam explicatur per negationem tamen formaliter in se non consistit, sicut etiam differentia bruti et explicatur per negationem rationalitatis, consistit tamen in positivo.

Veritas definitur quod sit passio entis, qua ipsum taliter est intelligibile, qualiter est secundum suam rationem.

Bonitas transcendentalis definitur quod sit passio entis a qua ipsum habet quod sit appetibile formaliter. Antequam autem plura de passionibus entis resolvantur

Nota: Quod sicut ens accipitur, vel transcendentaliter scilicet pro conceptu communi entis praeciso a suis inferioribus qui conceptus non dicit ex natura rei aliquam formalitatem perfectam; vel sumitur praedicamentaliter pro quocumque ente alicuius generis, ut pro substantia, quantitate, qualitate etc. Ita similiter passiones entis vel accipiuntur transcendentaliter et prout sunt proprietates entis transcendentaliter sumpti et in hoc sensu, sicut ens in communi non importat aliquam perfectam realitatem ita neque passiones eius, quippe non possunt passiones esse maioris entitatis quam earum subiectum; vel accipiuntur praedicamentaliter seu ut sunt passiones cuiusvis entis praedicamentalis, et ut sic dicant perfectas realitates a suis subiectis per metaphysicam resultantia emmanatas de quibus sic sumptis nihil occurit, praeter ea quae diximus in 'Logica', loquendo de distinctione formali inter essentiam et passiones. Adeoque etc.

Dico IV: Passiones entis transcendentalis non distinguuntur ex natura rei actu ab illo. Quod

Probatur: Illa quae ex natura rei non dicunt aliquam realitatem non posunt ex natura rei distingui actu; sed neque ens transcendentaliter sumptum neque passiones eius dicunt ex natura rei aliquam realitatem; *ergo,* passiones entis transcendentalis etc. Proinde proprietates entis distinguuntur formaliter, id est transcendentalis entis in conceptu et fundamentaliter ex natura rei. Ratio est, quia sicut intellectus noster propter suam imperfectionem desumit fundamentum ex rebus, ad abstrahendam rationem transcendentalem entis, ita desumit fundamentum ex rebus ad abstrahendam rationem transcendentalem cuiusvis passionis; *ergo,* intellectus aliquod fundamentum habet in re ad cognoscendas passiones.

Consequentia patet, quia fundamentum huiusmodi dictionis sunt realitates imperfecte conceptibiles; *ergo,* intellectus habet aliquod fundamentum. Si autem quaeras a quibus realitatibus abstrahantur dictae realitates imperfectae?

Respondeo: Quod sicut conceptus entis transcendentalis abstrahitur ab entibus in particulari v.g. a realitatibus Dei, creaturae, substantiae, et accidentis, ita conceptus transcendentalis unitatis ab omnibus unitatibus quae sunt passiones entium in particulari. Hinc quando dicuntur passiones entis transcendentaliter sumpti esse reales, non dicuntur tales, quasi aliquas realitates ex natura rei importarent, sed quia id quod concipitur est a parte rei, et inadaequate abstrahentium enim non est mendacium ut dictum est in 'Summulis'.

Dico quinto: Passiones entis transcendentaliter sumpti non includunt quidditatione seu in suo conceptu formali ens. Est scotistarum. *Probatur*: Ens, ut ait Philosophus, VII *Metaphysicorum,* ponitur ut additum in defini-

tione passionis; sed quod ita ponitur in definitione alterius non est de essentia illius; *ergo,* ens non est de essentia passionis. Secundo, si passiones entis includerent essentialiter et quidditative ens, ergo, includerent aliquid aliud praeter ens. *Probatur consequens:* Nam alias idem esset passio sui ipsius, quod non; *ergo,* etc. De illo autem alio potest inquiri: an includat essentialiter ens vel non? Si non; *ergo,* illud erit passio entis; si includit, *ergo,* includit iterum aliud praeter ens. Et de hoc idem inquiri potest sicque in infinitum; *ergo,* passiones entis etc.

Objicies primo: Nulla datur praedicatio in abstracto quae non sit quidditativa; sed de bonitate, unitate, veritate, in abstracto sumptis, praedicatur ens; *ergo,* ens quidditative includitur in illis.

Respondeo: nego minorem. Pro cuius solutione videantur dicta in tractatu seu in disputatione 'De universali logico'. Ideo

Objicies secundo: Ratio entis quidditative nihil aliud dicit quam aliquid esse extra nihil; sed passiones entis sunt extra nihil; *ergo,* includunt quidditative rationem entis.

Respondeo: distinguo maiorem. Ratio entis nihil aliud dicit etc ex se et dirrecte, *concedo maiorem;* indirrecte et per aliud, *nego maiorem* ita *minorem; nego consequentiam.* Non negantur ergo absolute passiones entis esse entia sed solum negatur esse entia quidditative ex se, dirrecte et formaliter, cum quo bene stat quod sint adhuc entia identice et realiter; et enim ens sit praedicamentum univocum respectu omnium per se intelligibilium, non tamen univoce praedicatur de omnibus; nam de aliquibus praedicatur univoce seu formaliter et quidditative, ut de Deo, creatura et decem praedicamentis etc, de aliis vero tantum identice seu denominative, ut in proposito 'De passionibus'. Consequenter passiones entis etc.

Quaeres: Quaenam sint principia entis realis ut sic?

Observa: alia esse principia essendi alia cognoscendi. Prima sunt ea ex quibus aliqua res constituitur, sive physice sive metaphysice, et talia principia ens ut sic nulla habet cum sit conceptus simpliciter simplex. Principia vero cognoscendi sunt illa, quibus res aliqua cognosci potest, et talia sunt quaedam propositiones maxime, per quas devenimus v.g. in cognitionem entis substantiae etc et de iis omnibus.

Respondeo: Principia cognoscendi entis sunt sequentia: quidquid est, quando est, necesse est esse; quodlibet est, vel non est, impossibile est idem simul esse et non esse; totum est maius sua parte; quae sunt eadem uni tertio etc (de iis etiam potest videre in tertia parte 'Summularum'). Quae omnia principia sunt prima simpliciter et notissima ut circa ea impossibile sit errare. Caetera autem principia non dicuntur simpliciter prima et notissima quia ex

simpliciter minori apprehensione non possunt cognosci proinde talia aliarum scientiarum principia certitudinem et evidentiam habent a propriis principiis metaphysicis iam recensitis adeoque principia metaphysica entis etc.

Disputatio III: De essentia et existentia

Quaestio prima: Quid sit essentia quid existentia, et an essentia ante existentiam seu ab aeterno habeat aliquod esse reale, et actuale?

Nota: Iuxta communem philosophorum consensum, per essentiam alicuius rei, nil aliud intelligi, quam praedicata quidditativa talis rei, quae per definitionem explicatur; quapropter his et similibus verbis potest definiri essentia: est id, quod per se primo convenit rei, et ipsam rem intrinsece constituit.

Et dicitur 'essentia' quatenus est id, quod primo convenit rei.

Dicitur 'natura' quatenus est radix et origo passionum, proprietatesque enim quasi nascuntur ab ea.

Dicitur 'quidditas', quatenus per eam respondetur ad quaestionem: quid est v.g. homo? apte dici potest: animal rationale. Ubi adhuc

Nota iterum: Iuxta communem consensum per existentiam nihil aliud intelligi, nisi per quod formaliter res extra suas constituitur causas. Quapropter existentia sic describi solet: Est ratio qua aliquid est formaliter extra suas causas.

Dicitur 'formaliter' ut distinguatur existentia ab ipsis causis, per eas enim et res existat, eo quod ab eis causetur, non tamen formaliter per eas existit, sed tantum causaliter convenit autem haec descriptio existentiae tantum rei creatae (Deus enim cum nullam causam sui habeat, nequit per existentiam extra suas causas formaliter existere). Si tamen in communi existentiam describere velis, ut tam existentiae creatae quam increatae conveniat, poteris dicere, quod existentia sit id, quo formaliter est res in actu ens, seu est actualiter extra nihil. Deducuntur hae descriptiones existentiae ex ipsa nominis aethimologia; nam 'existere' idem est, ac 'extra sistere', et sic existentia idem est, ac extra sistentia; hinc id quod existit, dicitur sistere extra suas causas, quia antea solum erat intra virtutem causarum.

Dicitur 'sistere extra nihil sui', quia ante nihil erat in actu.

Dicitur denique 'sistere extra potentialitatem', quia antea solum erat in potentia.

In hac igitur descriptione solum de existentia creata loquemur, de increata autem in theologia. Est autem existentia quid reale et intrinsecum rei existenti. Ratio est quia res dicitur existere per existentiam realem; *ergo,* est

quid reale. Quod autem sit quid intrinsecum etiam patet, quia res existit per existentiam, quasi in genere causae formalis; sed non per existentiam quasi per formam extrinsecam, ut ex se patet; *ergo,* per existentiam tanquam per formam intrinsecam ipsius rei, et inde existentia dicitur 'actus essentiae', quia per existentiam, res quae antea erat solum in potentia, dicitur 'esse in actu'. Communiter autem dicitur quod existentia sit actus ultimus essentiae, et hoc intelligitur relate ad actus metaphysicos seu in linea metaphysica, quia existentia supponit esse totum essentiae, completum secundum actus metaphysicos; potest tamen dici, quod existentia sit actus primus relate ad actus physicos, seu in linea physica, quia existentia est quid primum respectu omnium operationum et accidentium, quae necessario supponunt rem existentem et etiam est quid primum quod prius convenit essentiae, dum extra suas ponitur causas. Pro secunda tituli parte quaestioni.

Nota: Rerum essentias tripliciter posse considerari.

Primo, secundum se praecise; in quo sensu totaliter abstrahunt ab existentia, et eam nullatenus connotant, sed tantum dicunt eam connexionem necessariam praedicatorum, et sic dicuntur esse in logica potentia.

Secundo, ut sunt obiecta divinae potentiae, quae supposita praedicta non repugnantia potest eas producere, et in actuali existentia constituere; et in hoc sensu dicuntur esse in potentia obiectiva, et in statu possibilitatis ad existendum; atque ut connotant existentiam, qua formaliter in actu possunt constitui.

Tertio, ut habent esse actuale extra suas causas; et ut sic dicuntur existere formaliter per existentiam. Hoc supposito

Dico primo: Essentia ab aeterno seu ante existentiam nullum esse reale actuale habet. Ita Scotus cum Scotistis.

Probatur primo: Si essentiae ante existentiam haberent aliquod esse actuale, vel illud esset participatum vel non; non secundum, quia solus Deus est a se, et habet esse inparticipatum; neque etiam participatum a Deo, quia de fide est Deum non produxisse quiquam ab aeterno; essentiae autem rerum; *ergo,* essentiae ab aeterno etc. Confirmatur et destruitur fundamentum adversariorum: Deus ab aeterno non minus cognovit rerum essentias quam existentias; sed ex eo quod Deus cognoscat rerum existentias ab aeterno non dicuntur res habere esse reale existentiae ab aeterno; *ergo,* nec ex eo quod cognoscat rerum essentias ab aeterno illae dicendae sunt habere esse actuale aliquod ab aeterno. Consequenter etc.

Probatur secundo: Ex opposito sequeretur nullam creaturam vere et proprie creari et annihilari; sed hoc dici non potest; *ergo,* essentia etc.

Probatur sequella: Creatio est productio de nihilo; sed si lapis habuit v.g. ante existentiam esse actuale iam non produceretur ab efficiente de nihilo, ut patet; dum de annihilatione; *ergo,* ex opposito sequeretur etc.

Objicies primo: Creatura antequam creetur est possibilis; sed esse possibile est ens vere reale; *ergo,* essentiae habent ab aeterno etc. *Confirmatur:* Creatura ut possibilis dicit potentiam talem quae petit fundari in aliqua entitate; *ergo,* etc.

Respondeo: distinguo maiorem. Res possibilis est verum ens reale verbaliter seu actuale, *nego minorem;* nominaliter seu possibile, *concedo minorem* et *nego consequentiam.* Sicut enim essentiae sunt possibiles ab aeterno, ita etiam existentiae; atqui existentiae non habuerunt ab aeterno aliquod esse actuale; *ergo,* nec essentiae. *Ad consequens distinguo a:* Illa potentia petit fundari in aliqua entitate pure possibili, *concedo a;* actuali, *nego a* et *consequentiam.*

Objicies secundo. Scientiae sunt de rebus realibus et aeternis; sed etiam sunt de essentiis; *ergo,* essentiae habent aliquod esse actuale etc.

Confirmatur haec propositio: Homo est animal rationale, est aeternae veritatis; *ergo,* etc.

Respondeo: Qundo dicitur 'scientiam esse de essentiis aeternis' nihil aliud significatur, nisi quod essentiae rerum quoad connexionem praedicatorum sunt aeternae, quod non intelligitur ita, ut aliquod esse actuale habeant in se ab aeterno; sed quod praedicata essentialia quoad suam connexionem sint talis naturae, quod talis connexio nullatenus ab aliquo extrinseco dependeat, nec sit contingens, sed necessaria ex ipsa ratione intrinseca praedicatorum; et in hoc sensu propositiones quae fiunt circa rerum essentias connectuntur; dicuntur 'aeternae veritatis', scilicet quoad connexionem praedicati cum subiecto, non vero quoad aliquod actuale esse. Pariter in hoc sensu dicuntur rerum essentiae ingenerabiles et incorruptibiles, quia nec per generationem, nec per corruptionem recipiunt aut ammittunt praedictam connexionem praedicatorum; absolute tamen et quoad esse actuale sunt generabiles et corruptibiles, cum vere a suis causis recipiant et ammittant esse actuale.

Objicies tertio: Si rerum essentiae nihil includerent ab aeterno actualitatis essent nihil, sed ex hoc sequeretur dari unum nihil maius alio quod implicat; *ergo,* essentiae rerum habent esse actuale etc.

Probatur subsumpta minore: Creatura possibilis esset nihil quia nihil in se includeret actualitatis, diceret tamen non repugnantiam ad existendum; chimaera vero quae etiam est nihil, diceret etiam repugnantiam ad existendum; *ergo,* chimaera est maius nihil.

Confirmatur: Si essentiae possibiles essent nihil, non possent fieri ens, quia ex uno contrario non potest, nec potest fieri aliud; sed fiunt entia dum de statu possibilitatis reducuntur ad statum existentiae; *ergo,* non sunt nihil, sed habent esse actuale.

Respondeo: distinguo maiorem. Rerum essentiae essent nihil simpliciter, id est, essent nihil tam actu quam in potentia, *nego maiorem;* essent nihil se-

cundum quid, id est tantum in actu, *concedo maiorem;* neque sequeretur quod daretur unum nihil maius alio; sed sequeretur quod in chimaera sit duplex nihil tam, scilicet, possibilitatis quam actualitatis, in essentiis vero tantum unum scilicet nihil actualitatis.

Ad confirmationem, distinguo minorem sequellae. Si esset nihil simpliciter, *concedo;* secundum quid tantum, *nego.* Neque hic sequitur quod ex uno contrario fiat aliud sed quod aliquid de uno contrario transeat in aliud, scilicet creatura possibilis, quod transeat de non esse actu ad esse actum; et hoc non magis repugnat, quam ex non callido fieri callidum, scilicet ex non intelligente fieri intelligens, sapiens, prudens etc; adeoque etc. Sed dices

Contra: Omni possibili tribuuntur praedicata realia; *ergo,* illa debent importare aliquid realitatis.

Respondeo: distinguo a. Praedicata realia possibilia, *concedo a;* actualia, *nego a* et *consequentiam.* Doctrina ex se patet adeoque etc.

Dico secundo: Creaturae non habuerunt aliquod esse diminutum medium inter ens reale et rationis.

Probatur: Hoc esset diminutum medium inter ens reale et rationis, est omnino fictum; *ergo,* non datur. *Probatur a:* Vel esset medium per abnegationem extremorum; et hoc non, quia ens reale ut sic dividitur in ens reale et rationis, vel per participationem extremorum, ut ponit Pontius, et sic etiam non; ergo, implicat dari medium inter contradictoria; sed ens reale et rationis important contradictoria; *ergo,* hoc esset diminutum etc. *Probatur minor:* Ens reale secundum se totum quid dicit, est, vel potest esse a parte rei; ens vero rationis secundum totum suum esse, nec est, nec potest esse a parte rei; *ergo,* important contradictoria; consequenter inter ea non datur medium. Investigandum igitur hic est quid sit illud esse cognitum, quod Scotus *tribuit* creaturis ab aeterno in mente divina, et quod thomistae abominantur? Primo itaque omnes fateri debent ut certum, nedum in fide nostra verum etiam in sana et vera philosophia, divinum intellectum omnes creaturas possibiles ab aeterno cognoscere quoad earum possibilitatem, scientia quam volunt et vocant theologi simplicis intelligentiae. Unde si ex cognitione divina res ab aeterno cognitae denominentur (ut inquit Suarez) eadem necessitate fatendum est, hoc esse convenire creaturis ab aeterno, qua necessitate convenit Deo scire creaturas, sicut irrationabile foret concedere ab oculo parietem videri, et deinde parietem visum esse negari; ita in proposito mera dementia foret concedere Deum ab aeterno cognoscere creaturas possibiles, et negare eas esse cognitum habere in mente divina. Per hoc non esse cognitum quod tribuit Scotus creaturis ab aeterno non intelligit aliquid esse reale extra causas positum, aut medium inter esse reale et rationis; sed si sumatur materialiter, solum esse illud, est esse possibile creaturarum, quatenus ab aeterno ob-

jiciuntur intellectui divino, et in intellectione increata repraesentantur; si vero sumatur formaliter, tunc est denominatio extrinseca. Ex quibus

Inferes: Quod essentiae rerum ut praescindunt ab existentia in sola reali consistant possibilitate, ut tenet Mastrius; cum enim creaturae ab aeterno nec aliquod esse diminutum, medium inter ens reale et rationis, nec aliquod esse actuale habeant, plane nihil aliud superest, per quod potest explicari rei essentia ab aeterno prout praescindit ab existentia, nisi sola realis possibilitas per quam praecise creaturae ab aeterno distinguuntur a chimaeris et aliis impossibilibus; sed, hoc supposito, adhuc est quaestio: quae sit prima ratio illius possibilitatis et impossibilitatis rerum, an scilicet attendenda sit ex parte Dei an potius ipsarum rerum.

Nota breviter: Potentiam aliam esse logicam quae importat praecise non repugnantiam extremorum, quoad componi v.g. rationalitatis cum animalitate; aliam obiectivam per quam ulterius dicitur aliquid esse possibile, ut terminus alicuius potentiae activae agentis. Unde

Respondeo: Res non habent possibilitatem praecise a divina omnipotentia aut divino intellectu, sed intrinsece et formaliter habent ex se ipsis, extrinsece vero et denominative habent ab intellectu divino. Ratio primae partis est, quia si possibilitas quae res denominatur, oriretur a sola divina omnipotentia, non possit assignari ratio, cur potius aliter mundus denominaretur possibilis, quam chimaera etenim si ex parte mundi, et chimaerae nulla est ratio, qua sit mundus possibilis, et non chimaera. Tota ratio devolvenda erit ad omnipotentiam divinam; sed hoc non; *ergo,* impossibilitas chimaerae non oritur ex defectu omnipotentiae sed ex intrinseca repugnantia praedicamentorum ipsius chimaerae; sicut quod alter mundus sit possibilis, id oritur ex non repugnantia praedicamentorum alterius mundi; *ergo,* intrinseca et radicalis possibilitas non provenit a sola omnipotentia Dei, sed intrinsece et formaliter oritur ex non repugnantia praedicamentorum. Hinc et illa propositio est falsa, quia Deus producere nequit chimaeram ideo illa repugnat; sic pariter ista erit falsa, quia Deus potest producere hominem, hoc non repugnat. Ratio secundae partis est, quia intellectus divinus iudicat aliqua extrema esse inter se incomposibilia vel composibilia; *ergo,* ille extrinsece complet illam incomposibilitatem rerum. Unde si darentur termini invicem ex suis rationibus formalibus convenientes, neque aliquis intellectus posset eos cum veritate componere.

Quaestio II: An existentia distinguatur realiter ab essentia?

Celebris est haec difficultas in utraque schola et non procedit quaestio de actuali existentia cum essentia in statu possibilitatis comparata; nam ut hic certum est apud omnes, essentiam non esse realiter existentiam, cum essentia in statu possibilitatis non sit realiter existens. Ubi tamen

Nota: Quod non identitas seu distinctio, non sit quoad entitatem, sed quoad statum, idem enim Petrus v.g. est qui actualiter existit, et qui erat antea in statu possibilitatis, et sit in diverso statu, status autem existentiae et possibilitatis sunt diversae. Procedit ergo difficultas de essentia actuali comparata cum existentia pariter actuali (et hoc suo modo potest procedere etiam de essentia possibili cum existentia possibili) circa quam ex dupliciter edimetro opposita sententia, affirmativa est thomistarum cum suo Angelico praeceptore, negativa vero est omnium scotistarum cum suo Doctore Subtili, quem passim doctores Jesu Societatis sequuntur.

Dico: Essentia non distinguitur realiter ab existentia. Ita Scotus, in *Primo,* distinctione 26, quaestione unica et alibi saepe meminit.

Probatur primo: Existentia est id quo formaliter ponitur res extra suas causas et extra nihil; sed per suam actualem essentiam ponitur res extra nihil, et extra suas causas; *ergo,* actualis essentia non distinguitur realiter ab existentia. *Probatur minor:* Per id aliquid ponitur extra suas causas, per quod opponitur suo non esse; sed res per suam actualem essentiam opponitur suo non esse; *ergo,* per suam actualem etc. Sed

Respondent thomistae communiter: Quod existentia sit id, quo res formaliter ponitur extra suas causas ultimate et complete, non autem qua res formaliter ponitur imperfecte, incomplete et virtualiter seu initiative; et sic dicunt quod essentia actualis pro priori ad existentiam sit in quodam statu viali, et in potentia ad existendum, non autem quod sit formaliter et complete existens, quoadusque existentiam, quae est actus ultimus, et ultima actualitas in linea entis recipiat; at

Contra est: Res pro illo priori ad existentiam a thomistis assignato, est totaliter extra suas causas; ergo, pro illo priori formaliter et complete existens; *a patet,* quia id est formaliter extra suas causas, quod secundum omnes suas partes est productum; sed pro illo priori, res secundum omnes suas partes est producta; *ergo,* res pro illo priori ad existentiam etc.

Probatur consequens: Id est formaliter et complete existens, quod totaliter terminat actionem suae causae productivae; sed pro illo priori, res terminat actionem suae causae productivae; *ergo,* pro illo priori est formaliter et complete existens. *Maior* est certa, quia actio productiva rei sistit in rei existentia: nihil enim aliud intendit causa, quam existentiam effectui dare. *Probatur minor:* Pro illo priori est tota res producta quin aliqua pars seu praedicatum aliquod illius restet producendum; *ergo,* pro illo priori res terminat actionem causae etc. Sed adhuc

Respondent alii subtilius: Quod essentia pro illo priori ad existentiam non per aliquid quod esset prius illa existentia superaddita existeret, sed per ipsam superadditam existentiam, a qua nequit essentia pro illo priori praescindi. Sed

Contra: Quando aliqua realiter distinguuntur, sicut unum non aliud, ita potest unum ab alio distingui seu praescindi; *ergo,* si existentia distinguitur realiter ab essentia actuali, potest essentia actualis sine existentia concipi et ab illa praescindi; sed ex concessis essentia actualis pro illo priori nequit ab existentia praescindi; *ergo,* nec distingui realiter.

Confirmatur: Si essentia actualis distingueretur realiter ab existentia, daret habere quid, quod requiritur ut distinguatur ab illa; sed ut essentia distinguatur actualis ab existentia, necessario requiritur actualis seu actualitas ipsius essentiae; *ergo,* essentia actualis habebit actualitatem indenpendenter ab existentia realiter superaddita. Consequenter

Probatur conclusio secundo: Si essentia realiter distingueretur ab existentia hoc ideo esset, quia essentia esset indifferens ad existendum et non existendum, unde videtur habere aliquid quando existit, quod non habebat quando existebat; sed hoc non sufficit ad distinctionem realem; *ergo,* non distinguitur essentia ab existentia etc. *Probatur minor:* Ipsa rei existentia existit per se ipsam sine aliquo addito; sed ipsa existentia est indifferens ad existendum vel non existendum, quia aliquando actu existit, aliquando non, ut patet; *ergo,* indifferentia non sufficit etc. Dicunt aliqui etiam utramque esse falsam, et dicunt quod existentia ex suo conceptu formali actu existere et sic quod nequeat esse indifferens ad existere vel non existere. Sed

Contra: Si existentia ex sua ratione formali diceretur necessario actu existere semper necessario actualiter existeret; sed hoc non; *ergo,* existentia est indifferens ut actu existat vel non existat.

Confirmatur: Existentia per hoc praecise quod terminet actionem productivam est formaliter actu existens sine aliquo superaddito; *ergo,* similiter essentia per hoc praecise quod actionem productivam terminet sine aliquo superaddito erit formaliter existens. Sed

Respondeo: Thomistae negant hanc ultimam paritatem, et dicunt, quod existentia, cum sit ratio formalis existendi non indigeat existentia superaddita, ut actu existat, essentia vero, cum non sit ratio formalis existendi, indiget superaddita existentia. Sed

Contra eos: Ex eo essentia secundum adversarios non est ratio formalis existendi, et indiget aliquo superaddito ad existendum, quia potest actu existere vel non; sed existentia potest actu existere vel non existere, ut patet ex dictis; *ergo,* etiam ex eo daret existentia non esse ratio formalis existendi, et indigere aliquo superaddito, ut realiter actu existat. Ne ergo dicatur existentiam existere per aliam existentiam superadditam, et ab illa realiter distinctam, dicendum est, essentiam non existere per existentiam ab ea realiter distinctam. Plura argumenta conferunt thomistae ex quibus difficiliora proponantur, alia autem quae sunt levioris momenti, his visis et notatis, facile solvi poterunt. Interim

Objicies primo: Existentia contingenter convenit essentiae; sed quod contingenter convenit realiter distinguitur ab illo cui convenit; *ergo,* essentia distinguitur realiter ab existentia. *Maior patet,* quia essentia potest ab existentia desinere; potest etiam essentia non existere; *ergo,* existentia etc.

Respondeo: distinguo maiorem. Existentia contingenter convenit essentiae, ut existentia dicit aliquod praedicatum reale, sive physicum sive metaphysicum, *concedo maiorem;* ut existentia dicit statum actualitatis, *subdistinguo:* contingenter convenit essentiae secundum se consideratae, *concedo maiorem,* similiter *distinguo minorem:* quod convenit alicui contingenter distinguitur realiter ab ipso, si conveniat illi contingenter secundum quod dicit aliquod praedicatum sive physicum sive metaphysicum, *concedo minorem;* si conveniat illi contingenter secundum quod dicit aliquem statum, *subdistinguo:* distinguitur ab ipso secundum se considerato, *concedo minorem;* secundum quod est in illo statu, *nego minorem,* similiter *concedo* et *nego consequens.* Ut ergo vis solutionis huius percipiatur, prae oculis habendum est quod hic fiat comparatio inter essentiam actualem et existentiam actualem, et similiter inter essentiam possibilem et existentiam possibilem; et sicut existentia possibilis est ratio qua essentia est potens existere, ita existentia actualis est ratio qua essentia actualis existit. Unde communiter dicimus, quod existentia creata sit ratio constituens rem extra suas causas et extra nihil, quod debet intelligi vel possibiliter vel actualiter iuxta statum existentiae. Hinc quando dicimus existentiam contingenter convenire essentiae, non debet intelligi ita ut praedicatum seu entitas existentiae contingenter conveniat essentiae; in quocumque enim statu accipiatur essentia, habet necessario annexam existentiam; nam si accipiatur in statu possibilitatis, habet existentiam ut possibilem; si in statu actualitatis accipiatur, habet existentiam ut actualem. Debet ergo ita intelligi ut status existentiae conveniat contingenter essentiae secundum se sumptae, nam contingenter convenit illi esse sub statu actualitatis existentiae vel possibilitatis illius, non modo sub uno, sed modo sub alio statu esse potest. Unde distinctio essentiae ab existentia numquam est secundum entitates essentiae et existentiae, sed secundum statum, ita ut essentia, simul cum existentia, ut est in statu actualitatis distinguatur a statu possibilitatis; non quia entitative dicat in statu actualitatis aliquod praedicatum reale superadditum praedicatis, quae dicabet in statu possibilitatis, quasi illo praedicato superaddito diceretur existere, sed quia status sunt diversi. Sed

Contra: Ergo existentia necessario convenit essentiae creatae.

Patet illatio, quia id quod ab alio realiter non distinguitur necessario illi convenit; atqui hoc est falsum; *ergo,* existentia etc.

Probatur subsumpta maior: Nam soli Deo convenit necessario existentia; *ergo,* non necessario convenit creaturae.

Respondeo: distinguo illatum. Existentia necessario convenit essentiae creatae entitative et praescindendo a statibus, *concedo;* secundum actualitatis, *nego illationem;* ultimum etiam *distinguo:* Soli Deo necessario convenit existentia, entitative praecise, *nego subsumptam;* entitative et simul quoad statum actualitatis, *concedo subsumptam.* Etenim Deus necessario existit actualiter, non ex eo praecise, quod existentia non distinguatur ab essentia divina realiter, sed ex eo, quod essentia divina sit omnino improducta et independens ab aliqua extrinseca causa contingenter productiva; unde tam actualitas essentiae quam existentiae divinae dicitur necessaria; at vero essentia creata, et realiter cum existentia identificetur, non tamen dicitur neque est actualiter existens necessario, cum sit producibilis et dependens a causa extrinseca illam contingenter producente. Sed dices

Contra: Filius aeternus a Patre aeterno producitur; sed Filius aeternus necessario existit actualiter; *ergo,* quod essentia creata producatur ab aliqua causa, non est ratio, cur semper actu non existat, si alias secum identificat existentiam.

Respondeo: distinguo maiorem. Filius aeternus necessario producitur a Patre aeterno, ita ut non possit ab illo non produci, *concedo maiorem;* contingenter, ita ut possit ab illo non produci, *nego maiorem* et *consequens minus; nego consequentiam.* Essentia autem creata ita producitur a suis causis, ut posit non produci, et sic producitur contingenter, atque non necessario existit. Hanc disputatonem bene perpende.

Objicies secundo: Terminus generationis distinguitur realiter ab illo, quod non est terminus generationis; sed existentia est terminus generationis, non vero essentia; *ergo,* existentia distinguitur realiter ab essentia creata.

Probatur minor: Essentiae rerum non sunt generabiles et corruptibiles; bene tamen existentiae sunt tales; *ergo,* distinguuntur realiter ab essentia etc.

Respondeo: nego minorem. Sicut producitur existentia ita et essentia quoad esse actuale; *ergo,* utriusque par ratio.

Ad probationem dico: Quod quando dicitur essentias rerum esse ingenerabiles et incorruptibiles, hoc solum intelligitur attendendo ad connexionem praedicatorum, ita ut sint qua talem connexionem invariabiles; sive enim homo existat sive non, semper verum dicitur quod sit animal rationale quin per generationem producatur, vel per corruptionem destruatur talis praedicatorum connexio; propter quod propositiones quae fiunt attenta hac connexione, dicuntur aeternae veritatis; essentiae tamen quoad esse actuale sunt vere generabiles et corruptibiles; per generationem enim sicut producitur existentia hominis, ita producitur illius essentia, quoad esse actuale, et extra suas causas, et per corruptionem sicut destruitur existentia, ita et essentia quoad esse actuale et extra causas. Unde terminus generationis non dicitur sola existentia sed etiam essentia existens.

Objicies tertio: Nihil potest esse in potentia ad se ipsum; sed essentia est in potentia ad existendum; *ergo,* essentia distinguitur realiter ab existentia.

Respondeo: distinguo maiorem. Nihil potest esse in potentia subiectiva ad se ipsum, *concedo maiorem;* in potentia obiectiva, *nego maiorem,* ita *minorem; nego consequentiam.* Etenim quod est in potentia subiectiva ad aliud, distinguitur realiter ab illo, ut patet in materia prima respectu formae physicae; quod autem est tantum in potentia obiectiva, non distinguitur ab actu sibi correspondente, quia et ex modo loquendi videatur aliquid distinctum signari, ad quod dicitur aliquid esse in potentia obiectiva, in re tamen nihil distinctum signatur; idem enim quod est in potentia obiectiva seu in statu possibilitatis ad existendum, eo quod necdum terminaverit actionem suae causae, in cuius virtute continetur, dicitur potentia esse in actuali existentia (quae est actus correspondens potentiae obiectivae per se ipsum, sive aliquo superaddito) per hoc praecise quod terminet actionem suae causae productivae. Sed dices

Contra: Existentia recipitur in essentia; *ergo,* essentia est in potentia subiectiva ad existentiam.

Probatur a: Si existentia non esset quid receptum in essentia, esset purus actus; sed purus actus est infinitus et illimitatus; *ergo,* existentia recipitur in essentia.

Probatur maior: Quod nullam potentialitatem includit, est purus actus; sed si existentia non reciperetur in essentia, nullam includeret potentialitatem; *ergo,* si existentia non esset etc.

Probatur minor: Potentialitas solum potest provenire ex eo, quod forma sit alicuius receptiva, vel ex eo quod sit recepta; sed existentia non est receptiva alicuius, cum sit ultimus actus; *ergo,* si non reciperetur in essentia, nullam potentialitatem includeret.

Respondeo: nego a; ad secundum, nego maiorem; ad tertium, nego minorem et eius probatam minorem. Etenim in existentia non est ultimus actus absolute loquendo sed tantum dicitur ultimus actus respectu praedicatorum essentialium; at vero respectu praedicatorum accidentalium et operationum, est potius actus primus et hinc existentia et non fit actus receptus, est tamen receptiva accidentium, et ab illis aliquo modo perceptibilis, immo simpliciter et necessario praesupponitur ad constituendam potentiam subiectivam seu subiectum aptum tam formarum substantialium quam accidentalium et propter hoc diximus in 'Physica' materiam habere propriam existentiam independenter a forma et propriori ad receptionem illius; nequit enim aliquid non existens, aliquas formas physicas, sive substantiales sive accidentales, recipere. Sed dices

Contra: Existentia creata distinguitur ab existentia divina in eo, quod creata sit recepta, divina vero non recepta; *ergo,* existentia creata recipitur in

essentia; sed nequit recipi in essentia, nisi ab illa realiter distinguatur; *ergo,* ita distinguitur etc. *Respondeo: distinguo a:* Quod creata sit recepta, id est recepta ab alio tanquam a causa efficiente, *concedo a;* quod creata sit recepta, id est tanquam forma in subiecto subiectata, *nego a;* similiter *distinguo subsumptam minorem* et *nego consequens.* Limitatio ergo existentiae creatae consistit in hoc quod non necessario actualiter existat, nec essentiam sibi correspondentem faciat actualiter necessario sibi coexistentem, quod quidam habet ex eo, quod producatur a causa efficiente potente illam non producere, non vero ex eo quod recipiatur in essentia realiter distincta. Existentia autem divina habet necessario suum esse actuale eo quod non sit producta nec producibilis ab aliqua causa, a qua dependeret, et a qua posset destrui; et propter hoc dicitur existentia divina infinita et illimitata. Hanc rationem pariter bene nota.

Objicies quarto: Si existentia creata non distingueretur ab essentia, quaelibet creatura esset existens per essentiam; sed solus Deus est existens per essentiam; *ergo,* non creatura, ac per consequens essentia distinguitur etc.

Respondeo: nego maiorem. In sensu, in quo intelligitur existere per essentiam, per hoc enim intelligitur habere esse a se, et non communicatum ab aliqua causa, et sic existeret necessario, quod nullatenus habet essentia creata cum habeat suum esse actuale a suis causis communicatum, et sic existit contingenter. Si autem per li 'existere per essentiam' intelligitur existere per aliquod praedicatum quidditativum, adhuc distinguitur per hoc existentia creata et increata; nam increata est praedicatum quidditativum Dei, creata vero non est praedicatum quidditativum creaturae, sed solum modus intrinsecus, si demum existeret per essentiam intelligitur praecise existere aliquid per quidpiam indistinctum realiter ab essentia, *concedenda est etiam maior et non minor;* quia hoc non est solius Dei; caute tamen loquendum est, ne propositio in aliquo sensu dissona intelligatur.

Objicies quinto: Invariata essentia variatur existentia; *ergo,* distinguuntur realiter. *Probatur a:* Quia essentia Petri v.g. est eadem heri et hodie; sed non est eadem existentia; *ergo* etc. *Probatur minor:* Existere heri non est existere hodie; *ergo,* neque existentia est eadem heri et hodie.

Respondeo: nego a; ad secundam, nego minorem; ad tertium, distinguo a: Existere heri non est existere hodie, sumpto existere secundum rectum seu pro ratione formali existenti, *nego a;* sumpto existere secundum obliquum seu pro existentia cum tempore vel pro ipso tempore heriterno et hodierno, *concedo a, et nego consequentiam in sensu distinctionis.*

Objicies sexto: Essentia potest intelligi non existens; *ergo,* realiter ab ea distinguitur.

Consequens patet, quia si essentia potest cum veritate intelligi non existens poterit existentia dividi et separari ab essentia; sed separari unum ab

alio, est existere unum sine alio; quod est maximum signum distinctionis realis; *ergo,* essentia realiter distinguitur etc.

Respondeo: Nos non posse divise intelligere essentiam sine existentia sibi proportionata, ut v.g. essentiam possibilem sine existentia possibili et essentiam actualem sine existentia actuali. Hinc observa quod de conceptu actualis existentiae sit constituere actu existentem essentiam, de conceptu vero formali existentiae possibilis est constituere essentiam potentem existere, et sic semper debemus loqui de essentia et existentia proportionaliter sumptis. Illa tamen possibilitas existentiae non debet explicari ita, ut existentia sit in potentia, seu ut essentia sit in potentia ad existentiam, sed ita quod existentia quae in statu possibilitatis est, possit esse in statu actualitatis, qui status actualitatis nihil aliud importat quam positionem rei extra causas, ac per consequens essentia etc.

Quaeres: Utrum existentia et essentia saltem formaliter distinguantur?

Respondeo: Existentia creata aliquo modo ex natura rei distinguitur formaliter ab essentia. Ratio est, quia a parte rei de essentia et existentia creata verificantur praedicata contradictoria; nam essentia est quidditas rei, existentia autem creata non; sed esse et non esse sunt praedicata contradictoria; *ergo,* distinguuntur formaliter. Essentia ponitur dirrecte in praedicato, non vero existentia. Circa essentiam sunt propositiones aeternae veritatis, circa existentiam vero contingentes; *ergo,* datur distinctio inter eas; sed non realis; *ergo,* formalis, ac per consequens distinguuntur formaliter. Hanc tamen definitionem formalem dicit Mastrius non esse perfectam seu inter formalitates perfectas, sed dicit tantum esse imperfectam seu modalem ut in Magna diximus 'Logica'; eo quod existentia non dicat aliquam formalitatem perfectam sed tantum modum intrinsecum essentiae servata proportione inter essentiam et existentiam possibilem et inter essentiam et existentiam actualem. Sed directe dices

Contra hoc: Si existentia distingueretur formaliter ab essentia, tunc sicut essentia existit per existentiam formaliter ab illa distinctam, ita existentia per aliam existentiam ab illa etiam formaliter distinctam. Item nequit essentia actualis concipi, quin concipiatur existens; *ergo,* essentia actualis nullatenus ab existentia distinguitur. Tandem, essentia praescindens ab existentia non est essentia existens seu actualis; sed si distingueretur formaliter, praescinderet ab illa; *ergo,* non esset essentia actualis et existens. Consequenter etc.

Respondeo ad primum: Hoc argumentum esse bene contra *thomistas*, nec vero contra nos. Ratio est, quia quae distinguuntur realiter necessario distinctas possibilitates obiectivas quarum cuilibet debet in re correspondere distincta actualitas quae in esse ponatur et existat. Unde si essentia distingueretur realiter ab existentia utique concluderet argumentum; at vero

illa, quae tantum formaliter distinguuntur, non habent distinctas potentias obiectivas sed unam tantum, quibus unica tantum actualitas correspondat; eo quod unica tantum productione produci quaeat, et sic unica tantum existentia existunt. Hinc formalitates non dicuntur proprie produci per se, sed comproduci seu produci productione rei, cui realiter identificantur.

Ad secundum distinguo a: Nequit essentia actualis reduplicative ut actualis concipi, quin concipiatur existens, *concedo a;* nequit essentia actualis etc specificative, *nego a;* similiter *distinguo consequens:* Essentia actualis ut talis nullatenus ab existentia distinguitur, *concedo consequens;* specificative, *nego consequens.*

Ad tertium distinguo maiorem: Essentia praescindens realiter ab existentia non est existens, *concedo maiorem;* essentia formaliter non est existens, *nego maiorem* et contra *distinguo minorem, nego consequens:* Quia cum praecisio formalis non opponatur identitati reali, bene stat, quod formaliter praescindat ab existentia, et quod sit realiter existens etc. Consequenter

Quaestio III: Quid sit subsistentia et quibus rebus conveniat?

Nota: Quod ens per se existens (sic communiter solet appellari ens subsistens) multifarie accipi potest:

Primo, late et communissime quatenus scilicet idem est ens subsistens ac ens per se existens; in quo sensu subsistentia seu per se existentia etiam accidenti convenire potest, dum est a subiecto separatum, ut evenit in eucharistia.

Secundo, minus communiter seu strictius, scilicet quatenus subsistens seu per se existens, est ac ens alteri non inhaerens, neque habens aptitudinem ad inhaerendum. In hoc sensu quaevis substantia tam completa quam incompleta dicitur subsistens; quamvis autem forma substantialis insit materiae eam informando, non tamen ei inhaeret; nam hoc est proprium formarum accidentalium, ut iam dictum est in Physica'.

Tertio, accipitur ens subsistens proprie et strictissime quatenus videlicet idem est ac ens quod est in ultima actualitate, taliter quod non sit ultra ordinabile ad aliquem actum simpliciter, praeter illum quem habet. Unde ens per se sic subsistens nullatenus est alteri communicabile.

Nota secundo: Quod haec nomina 'subsistens', 'suppositum' et 'persona', idem pro formali significent, solumque differunt penes connotata, id est penes naturas diversas, quas afficiunt; si enim subsistentia efficiat naturam substantialem, vocatur 'absolute subsistentia et suppositabilitas'; si autem natura quam afficit sit intellectualis vocatur 'personalitas' eo quod esse personam tantum conveniat iuxta communem acceptionem intellectuali naturae, ex quo patet, quod subsistentia denominetur personalitas solum extrinsece ratione videlicet naturae intellectualis quam afficit. Unde subsistentia, person-

alitas et suppositabilitas habent se sicut superius et inferius. Valet enim: est personalitas ergo subsistentia et suppositum, non autem econtra.

Nota tertio: Quod communicabilitas alicuius rei sit duplex, scilicet 'ut quod' et 'ut quo'.

Ut quod dicitur alteri communicari, quod communicatur ut superius suo inferiori; hoc modo communicatur homo suis individuis.

Ut quo, quod communicatur alteri tamquam pars seu quasi pars alicui toti; hoc modo dicitur materia et forma communicari toti composito, et natura substantialis completa est communicabilis divino supposito. Cum ergo de ratione formali subsistentiae sit incommunicabilitas, ideo, ut aliqua natura sit subsistens, suppositum vel persona, deberet habere duplicem incommunicabilitatem, scilicet tam *ut quod* quam *ut quo* oppositam duplici praeexplicatae communicabilitati, et etiam incommunicabilitatem, per identitatem, ut sic excipiatur natura divina, quae et pro illo priori in quo nec tunc consideratur communicata personis sit subsistens subsistentia absoluta, non tamen est persona.

Nota quarto: Cum Scoto, in III, distinctione 1, quaestione 1. quod utraque praedicta communicabilitas seu dependentia sit actualis et aptitudinalis.

Prima est in natura, quando est actu communicata supposito alterius naturae, ab illa quae in subsistendo dependet ut natura humana Christi Domini respectu personalitatis Verbi divini communicabilitas aptitudinalis est in illa natura, quae naturalem inclinationem et propensionem habet ut communicetur alicui supposito distincto ab illo cui de facto est communicata, ut patet in ipsa natura humana Christi Domini, quae et sit suppositata per subsistentiam Verbi, habet tamen inclinationem ut communicetur proprio supposito ipsius creato et humano.

Est etiam alia adhuc communicabilitas potentialis in natura, tunc quando natura ad hoc ut communicetur alicui supposito non habet aliquam inclinationem seu propensionem sed tantum quamdam capacitatem seu non repugnantiam; hoc modo natura humana v.g. dicitur habere meram capacitatem et consequenter potentialem communicabilitatem respectu suppositi divini. Similiter datur per oppositum duplex vel triplex potius incommunicabilitas seu negatio incommunicabilitatis, scilicet actualis, aptitudinalis et potentialis.

Prima est cum natura actualiter non dependet ab alieno supposito, ut natura v.g. Petri, quae actualiter non dependet a supposito Ioannis.

Aptitudinalis est cum natura non habet inclinationem seu propensionem ut communicetur supposito alieno, ut praedicta natura Petri respectu suppositi Ioannis. Tertia est cum natura non solum actu non est communicata et

habet ut communicetur negationem alicui supposito, verum etiam repugnat illi sic communicari et ab illo dependere; ut natura divina cui repugnat aliquo modo dependere a supposito creato. His ita visis et notatis

Dico primo: Persona est intellectualis naturae incommunicabilis existentia. Hanc definitionem ponit Scotus, in I, dist. 33, qu. unica.

Li 'existentia' ponitur loco generis per hoc enim persona convenit iis quae nec persona nec suppositum sunt.

Per li 'incommunicabilis' convenit personae cum iis quae sunt supposita, et differt ab iis quae non sunt.

Per li 'intellectualis naturae' differt persona (et tantum extrinsece) a suppositis, haec enim non connotant necessario naturam intellectualem, ut dixi.

Ex qua definitione infertur quod subsistentia prout praescindit a suppositionalitate et personalitate sic recte definire possit: Est substantialis naturae incommunicabilis existentia; quae definitio patet ex dictis. Igitur, sensus secundae partis tituli quaestionis est: an in toto substantiali, ex materia et forma composito, detur unica simplex et indivisibilis existentia, an vero subsistentia extensa et composita, taliter quod materiae correspondeat una pars subsistentiae realiter distinctae ab alia parte subsistentiae, quae correspondet formae, et suppono tanquam certum nulli accidenti ex se ratione subsistentiae convenire; nam subsistentia importat incommunicabilitatem unius suppositi cum supposito alterius naturae; sed accidens ex sua natura est communicabile supposito; *ergo,* nulli accidenti ex se convenit ratio subsistentiae.

Dico secundo: Subsistentia totius substantialis compositi ex materia et forma est unica et simplex, unde neutri parti aliqua subsistentia partialis proprie dicta correspondet. Quod

Probatur: Totum essentiale physicum est aliqua entitas realiter a partibus suis distincta simul sumptis et unitis; sed talis entitas est sufficiens et proportionatum subiectum unius totalis et simplicis subsistentiae, qua posita, totum compositum substantiale subsistit; *ergo,* subsistentia etc. Videantur de hoc plura in libro primo *Physicorum,* ubi egimus de subsistentia materiae. Interim

Objicies primo: Destructa unione totius humanitatis assumptae in triduo mortis Christi Domini partes, scilicet anima et corpus manserunt unita ipso Verbo; *ergo,* manserunt immediate suppositata et consequenter huiusmodi partes etiam ut separatae sunt capaces subsistentiae. De hoc dubio an in triduo mortis Christus fuerit homo, infra videbimus.

Respondeo cum Mastrio quod sicut plures docent theologi Verbum divinum posse assumere non solum partes essentiales physicas seorsim existentes sed etiam accidens a subiecto separatum, quod ex hoc infertur, quod accidens separatum habeat propriam et rigorosam subsistentiam, sic ex eo quod corpus et anima inter se separata fuerunt assumpta a Verbo divino, non

bene infertur, tales partes seorsim existentes habere proprias subsistentias. Ratio huius est, quia unio alicuius entis creati cum supposito divino multifarie fieri potest; nam vel potest fieri per modum personationis, ut cum assumitur a tali supposito natura completa intellectualis, vel potest fieri per modum suppositionis, ut si assumeretur natura completa irrationalis, vel per modum cuiusdam simplicis sustentationis, ut si assumeretur a Deo aliqua forma accidentalis; vel denique per modum substantialis sustentationis, quo pacto fuerunt assumpta corpus et anima inter se separata in morte Christi Domini. Proinde talium partium unio non terminabatur ad Verbi subsistentiam, quatenus haec exercet munus personandi seu faciendi personam, sed quatenus exercet munus habendi esse independenter ab alio tanquam a subiecto, qui modus essendi independenter dicitur late et large subsistentia.

Objicies II: Anima realis non solum existit per se, prout haec opponitur inhaerentiae, sed etiam prout talis perseitas dicit negationem communicationis ad suppositum alienum; sed quod sic per se existit, improprie et rigorose existit; *ergo,* subsistentia etc.

Respondeo: nego minorem. Ad propriam enim et rigorosam subsistentiam non sufficit, quod aliquid actualiter non fit communicatum alteri tanquam supposito; sed ad hoc requiritur quod negationem aptitudinalis communicationis seu quod sit aptum communicari alteri, et hoc non habet anima separata nec alia huiusmodi pars, sed hae inportant connaturalem aptitudinem seu existentiam communicentur toti; consequenter subsistentia etc.

Quaeres: Utrum subsistentia distinguatur a singularitate seu a natura singularis?

Respondeo: Subsistentia (sive in positivo sive in negativo consistat, de quo infra) est aliquid superadditum naturae singularis creatae ab eaque realiter distinctum. Ita communiter theologi. Et ostenditur ex inefabili mysterio Incarnationis. Nulla enim ratio naturalis hoc efficaciter convincit, ut omnes fatentur; nam fides docet, quod Verbum divinum assumpserit naturam humanam singularem et quod non assumpserit personam humanam seu suppositum creatum. Deinde etiam fides docet quod natura humana Christi Domini careat propria subsistentia subsistatque subsistentia Verbi; sed hoc fidei dogma subsistere non potest, si subsistentia naturae singularis creatae non potest separari a natura singulari; *ergo,* potest ab ea separari; sed realis separatio infert necessario distinctionem realem; *ergo,* subsistentia etc. Unde in Petro v.g. duplex reperitur concretum scilicet naturae humanae cum haecceitate Petri, seu singularitate eius et naturae humanae singularis cum suppositalitate, seu personalitate. Et haec resolutio nostra de omni subsistentia creata etiam angelica, intelligenda, quia etiam haec non minus potuit suppleri a Verbo quam humana ut docent theologi. Sed

Dices: Quod una actione producitur est una res; suppositum una producitur actione; *ergo,* est una res.

Respondeo: Hoc argumentum tangere *thomistas*, qui subsistentiam creatam collocant in aliquo positivo superaddito. Nos autem quia statuemus ipsam consistere in negatione superaddita, quae non per aliquam actionem physicam, sed tantum per resultantiam realiter promanat a natura singulari, nisi impediatur, ideo nihil facit contra nos. Unde etiam inter subsistentiam et naturam singularem distinctio potius dicenda est, non identitas realis. Consequenter etc.

Quaestio IV: Quid sit illud quod subsistentia formaliter importat?

Dico: Personalitas creata super naturam singularem non addit aliquam entitatem positivam sed tantum negativam. Ita Scotus, in I, dist. 3, qu. 1. quem etiam plures extranei sequuntur. Quod

Probatur primo: Si personalitas creata supra naturam singularem adderet aliquam entitatem positivam realiter distinctam ab illa, non potest produci et conservari absque omni personalitate; sed hoc non; *ergo,* personalitas etc.

Maior est manifesta, nam potest assignari aliqua necessaria connexio inter naturam et illam positivam entitatem; sed cum sunt aliqua realiter distincta, et inter illa nequit assignari aliqua necessaria connexio, absque dubio potest unum sine alio produci et conservari, ut patet; *ergo,* personalitas creata etc. *Minor* autem primi syllogismi *probatur:* Natura singularis absque personalitate existens vel potest exercere omnes proprias operationes vel non; utrumque iterum est absurdum; *ergo,* et quod natura singularis absque personalitate existat. *Probatur minor* quoad secundam partem: Nam si potest exercere omnes suas operationes, ad nihilum ipsi personalitas deserviret, consequenter haec non esset positivum complementum aut perfectio talis naturae; omne enim tale complementum ad aliquid deservit naturae, quam sic complet; *ergo,* non potest exercere omnes proprias operationes. Sed

Dicunt: Quod deserviat ad terminandam naturam singularem eo quod illa sine tali complemento esset interminata. Sed

Contra: Natura absque tali positiva entitate potest exercere suas operationes; *ergo,* non existeret aliquam positivam terminationem, ad quid deserviret hoc quod ulterius positive terminetur; siquidem antea omnes suas operationes poterat exercere ad nihilum profecto. Deinde, quia nulla entitas positiva debet admitti in natura, quae tantum exerceat munus negativum incommunicabilitatis, hoc enim formaliter non exercetur ab illo quod est positivum, sed est dumtaxat fundamentum negationis; sed si absque personalitate potest natura singularis exercere operationes assignabile non est aliquod munus positivum, quod in illa talis personalitas exerceat; *ergo,* haec non est quid positivum.

Probatur supradicta minor ad secundam partem: Quod scilicet sit absurdum naturam singularem ex hypothesi sine personalitate exercente non posse suas operationes omnes exercere: nam quotiescumque natura aliqua existens habet suas potentias et non habet aliquod impedimentum, ut in actum exire possit, talis natura suas potest operationes exercere; sed in casu quo natura singularis esset sine personalitate, sic se haberet, ut patet; *ergo,* posset suas operationes exercere.

Confirmatur: Quia ex hypothesi quod natura intellectualis sine personalitate existeret, eius intellectus et voluntas possent ellicere suos actus; *ergo,* etiam illa natura suas operationes. *Probatur a:* Quia intellectus et voluntas animae separatae a corpore nullam habent personalitatem, sicut nec hanc habet anima in statu separationis; sed in statu separationis intellectus et voluntas, possunt exercere, et de facto exercent, suas operationes, ut nullus negat; *ergo,* etiam natura etc. Sed

Dicunt: Quod natura existens sine personalitate nullas operationes posset exercere, eo quod iuxta commune axioma: actiones sint suppositorum, ideoque etc.

Contra: Si hoc axioma ita intelligatur, ut nullae prorsus possint dari actiones, quae a supposito non provenirent, et in qua suppositabilitas non influat, est omnino falsum; siquidem anima cum a corpore est separata non est suppositum et tamen exercet seu ellicit operationes, scilicet intellectiones et volitiones. Deinde accidentia sunt sine subiecto et supposito, et tamen suas operationes exercere dicuntur, ut patet experientia; *ergo,* hoc axioma non est absolute verum. Intelligendum itaque axioma praedictum est (ut docet Scotus, in I, dist. 12, qu. 1) sic quod actio sit suppositi et ultimate denominati a tali axioma, cuius ratione inquit Doctor, quia omnis forma existens in alio, ut forma, sicut tribuit illi in quo est esse ita tribuit illi aliquando denominari a sua actione et quamvis ipsa forma in supposito existens etiam denominetur ab actione sua, non tamen ultimate denominatur suppositum a tali actione, et hoc ideo, quod natura consideretur in supposito ad modum partis; hinc et sit principium adaequatum ellicitivum operationum, non tamen dicitur operari 'ut quod', sed tantum 'ut quo', nam eo ipso quod sit pars est ulterius ordinabilis, et est id, quo aliud operatur; si autem forma activa sit separata a suo supposito, ut evenit in separata anima a corpore, et in accidentibus eucharisticis, tunc quidem talis forma potest denominari ultima denominatione, siquidem tunc non est alteri ratio agendi, sed per se existit. Concludit proinde Doctor, quod actio sit suppositi, non ellicitiva sed denominativa tantum, quatenus scilicet non determinat alteram denominationem, nisi suppositum, vel aliud quod se habet per modum suppositi, uti sunt anima, et accidentia separata.

Probatur secundo ratione philosophica: Natura personata, et propria personalitate retenta, iuxta communem fere omnium theologorum consensum, non potuit Verbo hypostatice uniri; sed hoc salvari non posset, si personalitas creata praeter naturam singularem praeseferret aliquam entitatem positivam; *ergo,* non est admittenda. *Probatur minor:* Quaevis entitas creata est in potentia oboedientiali respectu Dei; sed illud positivum supra naturam singularem importaret personalitas creata; *ergo,* esset in potentia oboedientiali respectu Dei, proptereaque posset Verbum hypostatice uniri; sed repugnat quod sic uniatur; *ergo,* ideo est, quia personalitas creata non importat aliquam positivam entitatem sed tantum quid negativum, quod quidem assumi non potest hypostatice a Verbo in quo nullum est inconveniens, sicut est in eo, quod entitas positiva sic assumi nequiret. Sed iterum

Dicunt: Quod ad illud positivum, quod importat formaliter personalitas, negatio illa duplex necessario sequeretur, scilicet tam actualis quam aptitudinalis dependentiae ab alieno supposito, unde adhuc salvatur, quod nequeat natura personata hypostatice uniri Verbo. Sed

Contra: Esto ad illud positivum connaturaliter sequeretur duplex negatio, negari tamen non potest, quod effectus talium negationum, utpote secundarius respectu talis positivae entitatis, posset a Deo supernaturaliter impediri, ut in aliis contigit, quo secundario effectu sic impedito necessario fatendum est, quod natura propria adhuc personalitata alieno supposito uniri posset; in nostra autem sententia hoc fieri nequit, quia cum personalitas creata non habeat alium effectum nisi mere negativum, hoc est facere naturam formaliter alieno supposito coniunctam, non potest natura sic uniri servata propria personalitate, siquidem negatio praedicta non potest tolli, nisi posita tali unione, cuius est negatio. Consequenter etc.

Objicies primo: Persona creata est prima substantia atque ideo est unum per se substantiale; sed hoc non ita esset, si in esse talis constitueretur per esse negativum; *ergo,* personalitas creata etc.

Respondeo: distinguo maiorem: Est prima substantia, et unum per se pro naturali et connotato, *concedo maiorem;* pro formali et per se significato, *nego maiorem,* et *concedo minorem; nego consequentiam.* Sed

Contra: Personalitas est ultimum complementum naturae substantialis, ut omnes fatentur; sed ultimum complementum naturae substantialis debet esse quid substantiale pro formali et per se significato; *ergo,* nihil dictum.

Respondeo: distinguo maiorem. Personalitas est inesse naturae, *nego maiorem;* personae, *concedo maiorem,* sic *minorem; nego consequentiam.*

Dices: Ergo persona, prout dicit totum coniunctum ex materiali et formali, scilicet ex natura singulari et personalitate, non est unum per se, sed per accidens; atqui communiter dicitur unum per se; *ergo,* personalitas etc.

Respondeo: Concedo libenter illationem, in qua nullum est inconveniens, cum autem communiter dicitur, quod suppositum seu persona sit unum per se intelligendum est sicut in aliis concretis negativis scilicet quod id, quod importat tanquam per se significatum, ut v.g. hoc concretum 'coecus' per se importat privationem 'visionis', quae in sua linea non est per se una, ita pariter persona dicit negationem per se, quae est per se una, intra lineam negationis, vel dicitur persona unum per se, eo quod id, quod pro materiali seu connotato importat, sit una per se completa substantia.

Objicies II: Sicut natura determinatur ad esse personae per personalitatem, ita determinatur singularis ad esse talis per singularitatem; sed ad esse singularis determinatur per aliquid positivum reale superadditum naturae specifice; *ergo,* ad esse personae necessario et simpliciter determinatur per aliquid reale positivum superadditum naturae singulari.

Respondeo: nego maiorem et paritatem. Etenim natura ita determinatur a singularitate, ut sibi repugnet simpliciter dividi et multiplicari in plura, quae repugnantia necessario ipsi convenit ratione alicuius entis positivi, scilicet differentiae individualis; at personalitatem autem non sic necessario determinatur sed omnino contingenter taliter quod ipsa natura eadem manens posset non suppositari propria ipsius personalitate, sed alia ut patet in natura humana assumpta a Verbo. Unde ad personalitatem determinatur tantum per aliquid negativum non positivum.

Objicies III: Si persona solum importaret negationem supra naturam singularem, sequeretur quod sicut bene dicitur aerem tenebrosum posse illuminari, sic vere etiam diceretur personam esse communicabilem; sed hoc non; *ergo,* etc. *Respondeo: primo nego paritatem.* Nullum enim est inconveniens dicere, quod sicut aer tenebrosus specificative seu in sensu diviso possit illuminari, ita persona specificativa et in sensu diviso possit communicari, si enim tenebrae possunt separari ab aere negationes communicationis, quas persona importat separari possunt a natura singulari.

Respondeo distinguendo minorem, iterum paritatem. Nam aer tenebrosus tantum habet negationem actualem lucis, non autem aptitudinalem quam exigat non illuminari, ideoque dicitur absolute illuminabilis; persona nedum dicit negationem actualem communicationis verum etiam et aptitudinalis communicationis; natura enim singularis completa personata exigit non communicari alieno supposito, et ideo potius dici debet incommunicabilis; adeoque etc.

Objicies quarto: Persona importat aliquid dignitatis et perfectionis; sed negatio nihil digni talis et perfectionis potest importare; *ergo,* persona non importat negationem. *Respondeo: distinguo maiorem.* Persona importat aliquid dignitatis et perfectionis pro materiali et connotative, *concedo maiorem;*

pro formali, *nego maiorem,* ita *minorem; nego consequens.* Persona itaque dicitur perfectissima in genere substantiae; non quatenus negationem, sed quatenus praesuponit naturam completam in genere substantiae intellectualis in qua fundatur. Unde personalitas et positive naturam singularem non perficit neque complet, sed tantum excludit dependentiam a quocumque supposito extraneo.

Objicies quinto: Persona divina ultra naturam singularem, non tantum negationem communicabilitatis, sed etiam aliquid positivum importat; *ergo,* et creata. *Respondeo: nego consequens et paritatem.* Nam persona divina habet negationem repugnantiae ut alieno communicatur supposito; quam repugnantiam non habet persona creata; ideoque etc. Sed contra

Dices: Natura divina personata personalitate Patris, communicatur Filio; *ergo,* ratio personae in divinis non dicit repugnantiam communicationis necessario. *Respondeo: nego consequentiam.* Etenim eadem numero natura, quae est personata personalitate Patris, communicatur Filio, non tamen communicatur reduplicative, ut personata; nam personalitas seu relatio Patris nec communicari potest Filio. Quod autem natura divina, personata personalitate Patris, communicetur Filio, hoc ideo est, quia talis natura est infinite perfecta, ut latius theologi explicant; personalitas autem creata, cum sit in natura finita et limitata, illam reddit ultimo incommunicabilem adeoque etc.

Objicies sexto: Natura dicitur sustentari in proprio supposito, dependere ab illo, illi initi, inclinari in propriam personalitatem; sed haec sunt munera positiva; *ergo,* personalitas creata etc.

Respondeo: Illum loquendi modum pertinere ad opinionem de positivo, non autem ad nostrum de negativo, in qua non, nisi inproprie usurpari potest. Unde cum natura dicitur in propriam inclinari personalitatem, idem est, ac esse propensam, ut non initatur alteri supposito.

Objicies septimo – ratione theologica: Persona Verbi divini supplet personalitatem creatam naturae ab ipso hypostatice assumptae, iuxta Patres et concilia; sed impersonalitas solum importaret negationem personalitatis Verbi supleret nihil, ut patet; ergo, dicit quid positivum.

Confirmatur: quia Patres et concilia dicunt, quod persona Verbi consumpserit personalitatem naturae humanae assumptae; sed hic modus loquendi non esset bonus nec verus, si personalitas creata esset negatio, quia, quod nihil est, non potest consumi; ergo, importat quid positivum.

Respondeo: Quod et personalitas nihil positivum importet, bene tamen salvatur quod personalitas Verbi illam suppleverit in natura assumpta; cuius ratio est, quia in eomet instanti, in quo natura humana (si hypostatice non fuisset a Verbo assumpta), habuisset duplicem illam negationem communicationis, ob quam vere diceretur illam esse per se, et non dependere ab alio;

divinum Verbum talem naturam praevenit, ne per se staret, fecitque quod ab alio dependeret, et sic illa natura, quae in se personata esset, si non fuisset assumpta, nunc dicitur personata in alio, eo quod fuerit assumpta a Verbo, et cum ratione propriae personalitatis seu praedictae duplicis negationis esset natura illa incommunicabilis alieno supposito, et manet sic incommunicabilis per personalitatem Verbi, vere dicitur illa suppleri ab hoc. Est tamen advertendum, quod personalitas Verbi non suppleat omne id, quod faceret propria personalitas illius naturae assumptae, quia ista redderet illam incommunicabilem actualiter et aptitudinaliter omni supposito, etiam ipsi supposito Verbi; Verbi tamen personalitas reddit naturam illam incommunicabilem omni alio supposito, non tamen incommunicatam ipsi supposito Verbi; est enim contradictio quod sit illi communicata, et non sit communicata. Ad confirmationem dico quod cum patres et concilia inquiunt, quod Verbum, assumendo hypostatice naturam humanam, consumpserit propriam ipsius personalitatem, tantum intendunt, quod assumendo talem naturam sic in ipso instanti, in quo exigebat personari ipsius personalitate creata, impediverit resultantiam talis personalitatis in ipsa natura. Unde illud verbum 'consumo' in huiusmodi locutione non sumitur rigorose sed quatenus significat 'destruere aliquid' quod antea erat, sed late quatenus significat 'impedire aliquid resultare' seu pullulare quod resultaret connaturaliter et necessario, si sic non impediretur. Deinde etiam si personalitas esset quid positivum, tamen illa numquam fuit in natura assumpta, quomodo ergo potuit consumi? Profecto non aliter nisi per li 'consumeret' assumatur pro 'impedire'.

Objicies octavo: Si persona creata solum diceret quid negativum, sequeretur, quod natura assumpta a Verbo defuncto fuisset personata propria persona, seu personalitate priusquam fuisset unita Verbo; sed sequella nequit admitti; *ergo,* nec consequens.

Probatur subsumpta: Quia talis natura fuisset producta prius prioritate naturae quam unita Verbo; sed in illo priori habuit negationem communicationis tam actualis quam aptitudinalis; *ergo,* non dicit quid negativum.

Respondeo: nego subsumptam cuius probationis distinguo minorem. In illo priori naturae habuit negationem communicationis positivae, *nego minorem;* negativae, *concedo minorem,* ita consequenti, *nego consequentiam.* Pro quo adverte, quod illud dicatur habere ab aliquo positive pro aliquo prioritate naturae, quod potest de illo verificari pro aliquo instanti temporis; id autem dicitur haberi ab aliquo negative pro priori naturae, cuius positum nequit pro illo priori ei convenire, et quod non competit ei pro aliquo reali instanti temporis, et conveniret sic, si ab extrinseco non poneretur impedimentum. Itaque in illa prioritate naturae ante unionem naturae humanae ad Verbum negatio actualis communicationis conveniebat tali naturae negative tantum eo quod pro illo priori non verificabatur oppositum talis negationis

de ipso scilicet esse communicatam se unitam Verbo; siquidem pro illo priori non intelligitur sic unita ut supponitur, non tamen conveniebat ei positive talis negatio (quod est necessario requisitum ad rationem personalitatis creatae) quia negatio, rigorose loquendo, non verificatur in esse positive in priori tantum naturae, sed in prioritate temporis et hoc modo negatio communicationis non verificabatur de natura sumpta, eo quod in illo instanti reali fuerit vere unita Verbo. Consequenter non habuit propriam personalitatem priusquam assumeretur. Hoc illustrare potest ex dictis de mutatione substantiali.

Objicies nono: Sequitur ex conclusione quod humanitas unita Verbo non fuerit unum per se cum illo; sed hoc non; *ergo,* nec illud etc.

Probatur maior: Quia ex duobus entibus in actu omnino completis et perfectis, cuiusmodi est Verbum et humanitas, nequit fieri unum per se; ergo, fatendum est quod tali humanitati deficiat aliquid positivum pertinens ad illius substantiale complementum etc.

Respondeo primo, quod hoc argumentum debeant etiam solvere adversarii, quia in bona philosophia non minus repugnat ex duobus entibus substantialiter completis fieri unum per se ac ex uno completo, et alio incompleto. Unde et humanitas secundum ipsos esset substantialiter incompleta; Verbum tamen fuit substantialiter completum; proinde, non potuisset cum illa unum per se constituere.

Respondeo secundo: concedo sequellam et nego minorem. Non enim est aliquid inconveniens ex Verbo, et humanitate ab ipso assumpta non fieri unum per se unitate compositionis tanquam ex per se actu et per se potentia, eo modo quo in argumento videtur intendi; nec enim Verbum nec humanitas possunt habere rationem partis essentialis, ut patet. Compositio itaque facta ex Verbo et humanitate est mirabilis et ineffabilis. Dicitur enim 'unum fieri per se ex Verbo et humanitate assumpta' non in natura sed suppositaliter seu in persona scilicet per actualem dependentiam naturae humanae ad Verbum in ratione suppositi; sic modus unionis seu compositionis est supernaturalis et ineffabilis; et cum dicitur 'ex duobus entibus in actu non posse fieri unum per se', hoc quidem verum est in unitate naturae, non autem suppositi seu personae et hoc genere unitatis Verbum et natura assumpta sunt unum per se, non autem primo modo, adeoque etc.

Quaeres: Utrum personalitas creata importet pro formali plures negationes communicationis vel unam tantum?

Respondeo: Incommunicabilitas 'ut quod' non est de ratione formali personae sed tantum praesuppositione se habet ad illam. Ratio est, quia talis incommunicabilitas convenit naturae singulari prout singularis est; *ergo,* talis incommunicabilitas etc.

Probatur a: Natura singularis ut talis nequit communicari alteri ut superius inferiori; est enim de ratione formali singularitatis non posse dividi in plura quorum quodlibet sit ipsum; *ergo,* incommunicabilitas etc. Quod autem talis incommunicabilitas praesuppositive requiratur ad personalitatem, patet, quia personalitas necessario connotat naturam completam singularem; sed ab hac nequit separari incommunicabilitas 'ut quod'; *ergo,* necessario requiritur etc. Unde haec negatio, utpote repugnantia, convenit naturae ratione alicuius positivi scilicet singularitatis. Consequenter etc.

Respondeo secundo: Duplex negatio communicationis, aptitudinalis et actualis 'ut quo', est de ratione personalitatis creatae. Ratio est, quia omnis substantia singularis intellectualis, quae sit negationem communicationis intellectualis, est personata propria personalitate; atque non habet huiusmodi negationem, non est personata propria sua personalitate, ut patet in humanitate Christi Domini; *ergo,* incommunicabilitas 'ut quod' etc.

Probatur minor: De negatione communicationis aptitudinalis, quia anima rationalis in statu separationis sit negationem (sic!) communicationis actualis; et tamen non est persona, quia scilicet non habet negationem communicationis aptitudinalis; *ergo,* haec etiam est de ratione personae creatae. De his adhuc paulo post dicetur, nunc tamen sat.

METAPHYSICA P. ANTONII XDERICH

Sažetak

Ovaj rad se sastoji od dva dijela. U prvome se govori o životu fra Antuna Žderića iz Vinkovaca, profesora filozofije na Franjevačkom filozofskom učilištu u Slavonskom Brodu (Studium philosophicum Brodii) od 1735. do 1738. godine; u drugom je donesen tekst njegovih predavanja iz metafizike.

METAPHYSICA P. ANTONII XDERICH

Summary

The paper consist of two parts. The first one depicts the life of father Antun Žderić from Vinkovci, a professor of philosophy at the Franciscan philosophical educational institution in Slavonski Brod (Studium philosophicum Brodii) from 1735 to 1738. The second part are his lectures in metaphysics.